

INSECTA SVECICA

DESCRIPTA

A

LEONARDO GYLLENHAL

EXCUB. PRAEF. ET EQU. AUR. ORDINIS DE WASA. REG.
ACAD. SCIENT. HOLMENSIS. SOCIET. SCIENT. UPSAL.
ET PLUR. SOC. ERUDIT. MEMBRO.

CLASSIS I.

COLEOPTERA

SIVE

ELEUTERATA.

TOM. I. PARS IV.

CUM APPENDICE AD PARTES PRIORES.

LIPSIAE

APUD FRIEDERICUM FLEISCHER.

1827.

P r a e f a t i o.

Quae a descriptione Insectorum Svecicorum continuanda, justo diutius me avocarunt, multa variaque fuerunt impedimenta, quibus vero feliciter superatis, nunc demum liceat hujus disciplinae cupidis quartum operis mei Tomum offerre, in quo descriptio primae Classis sive Coleopterorum, ad finem est perducta.

Ex quo tempore multis abhinc annis priores hujus operis partes editae sunt, nimium quantum crevit Entomologia; quare operam dedi, ut in appendice, huic parti adjuncto, eorum reddere conarer rationem, quae sive in disponendis Insectis, sive in nomenclatura immutare proposuerunt senioris aevi Entomologi; atque etiam eos emendare errores, qui in Tomis antea editis deprehenduntur. Hoc etiam temporis spatium in Patria nostra tercenti fere
no-

novae Insectorum Species inventae sunt, quae ad Familias in prioribus hujus operis partibus recensitas pertinent, quas itaque, utut a me nondum descriptas, appendici huic inserere animus fuit. Recens observatorum permagnam debeo partem hisce Domm. Entomologis, qui pro ea, quae nos intercedit amicitia, a se inventa et observata benigne mecum communicarunt, scilicet:

Dom. C. J. Schönherr in villa Sparrsäter, a Conciliis Commerciorum, qui amicissime mihi suppeditavit, quae copiosa ejus collectio Insectorum, exquisita Entomologiae peritia et observandi acumen, ad opus hoc amplificandum et perpoliendum suggererit.

Dom. C. R. Sahlberg, Aboae, Medicinae Doctor, Professor et Eques, qui a longo abhinc tempore a se inventa mecum perofficiose communicavit, cujusque e commentationibus de Insectis Fennicis, quarundam mihi ignotarum Specierum descriptiones exscribere ausus sum. Etsi quidem Finlandia e Regni Sveciae Provinciis esse desiit, meum tamen esse existimavi, ibi recens inventa recensere Insecta, probabili illa ductus conjectura, hasce Spe-

Species in adjacente boreali parte inveniri, si quis has Provincias attentius perlustraverit.

Dom. C. F. Fallén, Lundae, Historiae Naturalis Professor, inter amicos, quos communis Entomologiae amor mihi conciliavit, vetustissimos, cui multa debeo magni momenti in meridionali Sveciae parte observata, quae tamen, quod ad postremos attinet annos, non tam hanc primam spectant classem, quam praecipue sequentes.

Dom. J. W. Zetterstedt, Lundae, Doctor et Professor, qui, quum plerasque Patriae Provincias adiret, multas antea ignotas invenit Species, a multisque retro annis inventorum me participem reddere voluit.

Dom. J. W. Dalman, Doctor, Professor, Musaeique Zoologici Regiae Academiae Scientiarum, quae Holmiae est, Intendens, qui multa ad hoc meum opus adjumenta perofficiose communicavit.

Dom. C. G. Mannerheim, Comes, Imperialis pro rebus Fennicis, quod Petropoli est, Collegii a Secretis, qui diu multumque in Finlandia Sveciaque commoratus et peregrinatus, multa maximi sane momenti primus animad-

verit, suramaque cum benevolentia tam a se inventorum me participem fecit, tum collectiones meas Sibiricis aliisque Exoticis Insectis liberaliter auxit.

Dom. S. F. Liungh, in villa Skarsiö Smolandiae, Provinciae Camerarius.

Dom. Haeffner, Upsaliae, ad Aulam Regiam Praefectus Musices supremus.

Dom. C. F. Bogeman, in villa Botarp Smolandiae, Centurio.

Dom. C. H. Boheman, in villa Annaeberg, Ostrogothiae, sub-centurio.

Dom. F. D. Wasastjerna, Wasae.

Dom. G. Marklin, Upsaliae.

Quorum quisque, tum in collectionibus meis adaugendis, tum in accuratiori Insectorum Patriae cognitione paranda, insignem mihi praestitit operam, pro qua in me benevolentia nullo non tempore me gratissimum fore, hoc loco mihi liceat profiteri.

Ex Entomologis Exteris, qui literas ad me dare, et commercium Insectorum, quod permutando perficitur, instituere dignati sunt, hoc loco nominasse sufficiat:

Dom.

Dom. Comitem Dejean, Parisiis, e Regni Galliae Primoribus, Generalis locum tenentem, Commendatorem etc., qui maxima cum liberalitate collectiones meas auxit, multasque circa nomenclaturam mihi praebuit correctiones. Muneri mihi mittere illi placuit non tantum opera sua Entomologica, jam antea edita, sed duos etiam priores Tomos Classici sui operis, quod inscribitur: „*Species General des Coleopteres* etc.“ Est vero, quod doleam, operis hujus tum tandem mihi copiam esse factam, quum jamjam hunc operis mei Tomum typis exscribendum Lipsiam transmissem, nec licuisse mihi opere laudato uti, in Familia Carabicornum describenda. Tantam vero tamque eximiam humanitatem non possum, quin gratissima et venerabunda semper prosequar mente, quod mihi hoc loco liceat declarare.

Dom. J. Schüppel, Berolini, inter Eximios nostri aevi Entomologos, qui multa hujus disciplinae amicis magni aestimanda enucleavit, minutissima praesertim Insecta quod attinet, multasque nomenclaturae emendationes subministravit, quod semper gratissima mente agnoscam.

Sicut in prioribus hujus operis partibus, ita in hac etiam Descriptiones Insectorum copiose, et quantum potui accurate exposui, iis ductus rationibus, quae in Praefatione Tomi Primi leguntur.

Ad omnes illas species, quae in Dom. Schönherr Synonymia Insectorum, P. I, II, et III, inveniuntur, Classicum hoc opus semper allegavi; alios vero auctores paucos tantum volui allatos, nisi si qui recentiores sint, et apud auctorem nuper laudatum desiderentur.

Dabam in Villa Höberg prope Scaram,
d. 31. Januarii 1827.

L. Gyllenhal.

Auctores Citati, cum explicatione abbreviationum.

Continuatio.

- Ahr. Fn. Ins. Eur.* Aug. Ahrensii Fauna Insectorum Europae; a Dom. Prof. Germar continuata. Fascic. 1 — 8. 12.
- Beck Beitr.* Beiträge zur Baierschen Insecten-Fauna etc., von Beck. Augsburg 1817.
- Dej. Cat.* Catalogue de la Collection de Coleopteres de M. le Baron Dejean. Paris 1821. 8.
- Dufst. Fn. Austr.* . Fauna Austriae, oder Beschreibung der österreichischen Insecten etc., von Kaspar Duftschmied. Linz und Leipzig 1805 u. 1812. Theil 1, 2. 8.
- Germ. Mag.* Magazin der Entomologie, von Ernst Fr. Germar. Halae 1813 — 21. Band 1 — 4. 8.
- Germ. Ins. Spec.* . . Insectorum Species Novae etc. Auctore E. F. Germar. Vol. I. Halae 1824. 8.
- Hummel Ess. Ent.* Essais Entomologiques, par A. D. Hummel. No. 1 — 5. St. Petersburg 1821 — 26. 8.
- Kirby Mon.* The genus *Apion* of Herbsts natur. System, considered etc., by W. Kirby. (In Transactions of the Linnean Society. Vol. IX. London 1808.
- Latr. et Dej. Icon.* . Histoire naturelle et Iconographie des Insectes Coleopteres d'Europe, par M. Latreille et M. le Baron Dejean. I. livraison, a Paris 1822. 8.

- Leach. Zool. Misc.* . The Zoological Miscellany etc., by W. E. Leach. London 1814 — 1817. Vol. 1, 2, 3. gr. 8.
- Mannerh. Eucnem.* . Eucnemis, Insectorum genus, Monographice tractatum a C. G. de Mannerheim. Petropoli 1823. 8.
- Nov. Act. Hall.* . . Neue Schriften der naturforschenden Gesellschaft zu Halle. Halae 1811—18. 8.
- Nicol. Col. Halens.* Diss. sistens Coleopterorum Species agri Halensis. Auct. E. A. Nicolai. Halae 1822. 8.
- Payk. Mon. Hist.* . . Monographia Histeroidum, Auct. Gust. de Paykull. Upsaliae 1811. 8.
- Reichenb. Mon. Psel.* Monographia Pselaphorum. Auct. H. T. L. Reichenbach. Lipsiae 1816. 8.
- Sahlb. Ins. Fen.* . . Diss. Ent. Insecta Fennica enumerans. Praes. C. R. Sahlberg. P. 1—9. Aboae 1817—23. 8.
- Schönh. Curc.* Curculionidum dispositio methodica. Auctore C. J. Schönherr. Lipsiae 1826. 8.
- Spence Monogr.* . . . A monography of the British Species of the genus Choleva. by William Spence (in: Transactions of the Linnean Society. London 1813. Vol. XI.) gr. 4.
-

Thorax latitudine antica brevior, cordatus, antice multo latior, truncatus, lateribus ante medium amplius, dein angustatus, basi sub-truncatus, supra parum convexus, nigro-aeneus, confertim et sat profunde punctatus, inaequalis, impressionibus duabus semicircularibus, dorso conniventibus, externe fere apertis, notatus. Scutellum parvum, rotundatum, concolor. Elytra antice thoracis basi duplo latiora, humeris elevatis, rectangulis, thorace quadruplo longiora, sub-linearia, apice rotundata, supra modice convexa, nigro-aenea, nitida, in disco sat regulariter striatim punctata, versus basin vero profunde, versus apicem obsoletius confertim vage punctata; ante medium singuli elytri fovea magna, transversim ovata, profunde impressa. Corpus subtus nigrum vel nigro-piceum, pectore punctulato, ventre sub-laevis. Pedes mediocres, nigri, tarsi ferrugineis.

4. *S. bimaculatus* p. 644.

5. *S. denticollis* Pars 3. add. p. 715.

6. *S. cursor* Pars 3. add. p. 716.

Etiam Upsaliae a Dom. Haeffner captus.

S e c t i o III.

T e t r a m e r a.

Tarsi omnes articulis quatuor.

Fam. 1. Bruchelae.

ANTHRIBUS.

1. *A. latirostris* Pars 3. p. 1.

Ad sub-genus *Platyrhinus* Schönherr pertinet.

2. *A. albinus* p. 3.

3. *A. albirostris* p. 4.

4. *A.*

4. *A. dorsalis* p. 5. *Ahr. Fn. Ins. Eur.* 6. f. 12.

5. *A. niveirostris* p. 6.

5-6. *A. sepicola*: oblongus, nigro-fuscus, cinereo-varius, thorace striga postica elevata sub-recta, tuberculisque duobus nigris, elytris macula media nigra, sub-holosericea.

Herbst. Col. 7. 166. 7. *Tab.* 106. f. 7. *D. Fabr. S. E.* 2. 411. 51?

Habitat in Oelandia. *Dom. Prof. Zetterstedt.*

Magnitudo statura et affinitas *A. niveirostris*. Caput deflexum, rostro lato, plano, rotundato, una cum fronte pilositate depressa albida tecto; oculi laterales nigri. Antennae longitudine thoracis, tenues, ferrugineae, clava tri-articulata, obtusa. Thorax antice angustior, lateribus rotundatus, basi truncatus, supra convexus, nigro-fuscus, pube depressa cinereo-ferruginea variegatus; ante medium dorsi tubercula duo parva, approximata, nigra, acuminata, et pone medium striga transversa, valde elevata, sub-recta. Scutellum parvum, cinereo-pubescent. Elytra latitudine medii thoracis illoque plus duplo longiora, apice singulatim rotundata, supra convexa, obsolete punctato-striata, pube depressa cinereo-rufescente obducta, punctisque albidis nigrisque alternantibus, lineatim dispositis variegata; paulo pone scutellum, juxta suturam, tubercula duo parva, elevata, nigra, et fere in medio disci singuli elytri macula major, difformis nigra, sub-holosericea. Corpus subtus nigro-fuscum, pube brevi, depressa, fusco-rufescente, tectum. Pedes mediocres fusco-ferruginei, annulis albidis variegati.

6. *A. cinctus* p. 7.

6-7. *A. undulatus*: oblongo-ovatus ater, confertissime profundius punctatus, rostro
basi

basi angustato, thorace postice striga transversa elevata sub-recta, elytris strigis undulatis punctisque albido pubescentibus.

Panz. Ent. Germ. p. 294.

Habitat ad Sparrsätra Vestrogothiae rarissime.

Dom. Schönherr.

Statura et fere magnitudo *A. cincti*. Caput deflexum, atrum, confertissime et profunde punctatum, fronte convexa, pulvinata; rostrum capite fere longius, basi coarctatum, apice sub-orbiculatum, supra planum, subtilius quam caput punctatum, pube tenui cinerea adpersum, unde minus nigrum; oculi laterales prominuli, brunnei. Antennae capite cum rostro parum longiores, filiformes, nigrae, clava majuscula, ovata, triarticulata. Thorax latitudine brevior, antice truncatus, compressus, angulis et lateribus deflexis, basi etiam truncatus, angulis obtusis; supra convexus, ater, confertissime profunde punctatus; in disco anteriore foveola transversa impressa, in fando albido-pilosa, et longe intra basin striga transversa, valde elevata, recta, versus margines tantum nonnihil antrosum arcuata. Scutellum parvum, elevatum, rotundatum, dense albido-pubescent. Elytra antice latitudine baseos thoracis, humeris rotundatis, pone humerum nonnihil ampliata, apice singulatim obtuse-rotundata, thorace plus duplo longiora, supra modice convexa, in disco anteriore impressa, nigra, sat profunde punctato-striata, interstitiis confertim punctulatis; strigis pluribus transversis, undulatis, interruptis et irregularibus e pilis depressis cinereo-albidis, ornata. Corpus subtus nigrum, confertissime punctatum, pube tenui adpersum. Pedes mediocres, femoribus nigris, tibiis tarsisque piceis.

Obs. Species No. 3, 4, 5, 5—6, 6, et 6—7, ad sub-genus *Tropideres* Dom. Schönherr, pertinent; sequentes duae ad sub-genus *Brachytarsus*.

7. *A. scabrosus* p. 8.

8. *A.*

8. *A. varius* p. 10.

Obs. Metamorphosis hujus Insecti a Dom. G. R. Dalman detecta et in Act. Holm. 1824, p. 388. descripta.

B R U C H U S.

1. *B. granarius* p. 11.2. *B. Loti* p. 13.3. *B. Cisti* p. 15.4. *B. seminarius* p. 14.*Fam. 2. Curculionides.*

Sect. I. Recticornes.

(*Attelabides, Rhinomacerides et Apionides, Schönherr*).

A T T E L A B U S.

1. *A. Coryli* p. 16. Ad Genus *Apoderus Schönherr* pertinet.2. *A. Curculionoides* p. 18. *Attelabus Schönherr*.

R H Y N C H I T E S.

1. *R. Betuleti* p. 19.

Rhynchites Betulae, Oliv. Ent. 5. 81. p. 21. 29.
Attel. Tab. 2. f. 29. a.

2. *R. Populi* p. 21. *Oliv. Ent. 5. 81. p. 20. 28. Attel. Tab. 2. f. 28.*3. *R. Bacchus* p. 23. *Latr. Gen. Ins. 2. 48. 1. Oliv. Ent. 5. 81. p. 20. 27. Attel. Tab. 2. f. 27. a, b, c.*4. *R. cupreus* p. 24.

Rhynchites punctatus, Herbst. Col. 7. 151. 7.
Tab.

Tab. 104. f. 7. a. Oliv. Ent. 5. 81. p. 29.
42. Attel. Tab. 2. f. 42.

Var. c, thorace nigro-coerulescente.

Habitat in Smolandia. *Dom. Boheman. Mus.*
Dom. Schönherr.

5. *R. aequatus* p. 25. *Oliv. Ent. 5. 81. p.*
24. 33. Attel. Tab. 2. f. 33.

6. *R. Alliariae* p. 26. *Oliv. Ent. 5. 81. p. 25.*
35. Attel. Tab. 2. f. 55.

Obs. Synonymon Cl. Linnaei excludendum, utpote
 ad *Rh. nanum* pertinens.

7. *R. minutus* p. 27.

8. *R. nanus* p. 28. *Thunb. Nov. Act. Ups. 7. 117.*
Curculio alliariae, Linn. Syst. 2. 606. 4. Fn. Sv. 580.

9. *R. Betulae* p. 29.

10. *R. Rhinomacer* p. 30.

Rhinomacer attelaboides, Schönherr. Curc.
Disp. meth. p. 45. Oliv. Ent. 5. 87. p. 459. 2.
Tab. 1. f. 2. Dej. Cat. p. 79.

A P I O N.

Obs. Genus hoc recentiori aevo egregie elaboratum
 et ingenti numero specierum auctum, quare sub-
 visiones necessariae evadunt, ut species facilius inve-
 stigentur; tales proposuit Dom. Prof. Germar in *Mag.*
3. p. 41, quas et nos secuturi.

Stirps 1. Rostrum apice subulatum.

1. *A. Pomonae. Ins. Sv. 3. 39. 7. Germ. Mag.*
2. Mon. 143. 16. Tab. 2. f. 1. a, b, c.

Apion coerulescens, Kirby. Trans. Linn. Soc.
9. p. 27. 10. Tab. 1. f. 4.

2. *A. subulatum*: nigrum, sub-opacum, tenuissime pubescens, antennis basi ferrugineis, rostro basi crassiusculo, apice subulato, subtus non gibboso, elytris sulcato-punctatis, interstitiis planis.

Germ. Mag. 2. Mon. p. 146. 17. Pars 5. app. p. 38. Kirby Trans. Linn. Soc. p. 28. 11. Tab. 1. f. 5.

Habitat in plantis et gramine rarius; in *Lathyro pratensi*, *Kirby*.

A. Pomonae minus, brevius; rostrum basi minus crassum. Corpus totum nigrum, sub-opacum, pube tenui cinerea adpersum. Caput porrectum, oblongo-quadrangulum, supra planum, crebre punctatum, fronte inter oculos multistriata; oculi magni, laterales, brunnei; rostrum feminae longitudine fere capitis cum thorace, mais paulo brevius, in utroque basi modice incrassatum, punctatum, opacum, apicem versus attenuatum, laeve, nitidum, subtus non gibbosum. Antennae ante medium rostri insertae, thoracis basin non attingentes, articulo primo longo, clavato, inferne rufescente, apice nigro, reliquis nigris, clava majuscula, acuminata. Thorax angustus, sub-cylindricus, vel anterie paulo angustior, antice truncatus, basi leviter bi-sinuatus, supra convexus, niger, confertissime punctatus, tenue pubescens; canalicula dorsalis tenuis, obsoleta, abbreviata. Scutellum minutum punctiforme. Elytra magna, ob-ovata, antice thoracis basi dimidio latiora, lateribus ampliata, inflexa, apice rotundata, supra valde convexa, praesertim posterius; nigra, opaca, sat profunde sulcata et in sulcis catenato-punctata, interstitiis latis, planis, laevibus. Corpus subtus nigrum, punctatum, tenue pubescens. Pedes elongati, validi, nigri.

3. *A. cracca* p. 38. 6. *Germ. Mag. 2. Mon. 147.*

147. 18. *Tab. 2. f. 2. a, b. Kirby. Trans. Linn. Soc. 9. p. 29. 12.*

Mas: *Germ. Mag. 2. add. p. 255. 6.*

Apion ruficorne, *Germ. Mag. 2. Mon. 149. 19. Tab. 4. f. 20. a, b. Kirby. Trans. Linn. Soc. 9. p. 30. 13.*

Stirps 2. Rostrum cylindricum vel filiforme. Manip. 1. Antennae versus basin rostri insertae.

* Pedibus nigris.

4. A. Loti p. 60. n. 28. *Germ. Mag. 2. add. 260. 28.*

Apion vicinum, *Germ. Mag. 2. Mon. 139. 12. Kirby. Trans. Linn. Soc. 9. 25. 8. Tab. 1. f. 3.*

Apion incrassatum, *Germ. Mag. 2. Mon. 140. 13. Tab. 2. f. 3. femina forte.*

5. A. atomarium p. 60. 29. *Germ. Mag. 2. Mon. 209. 65. Kirby. Trans. Linn. Soc. 9. 59. 40. Tab. 1. f. 14.*

Apion pusillum, *Germ. Mag. 2. p. 209. 66. Tab. 2. f. 4. et Pars 3. add. p. 43.*

6. A. confluens: angustum, nigrum, parce pubescens, fronte sulculis duobus brevibus, profundis, postice connexis, thorace cylindrico obsoletius punctato, elytris ovatis, sulcis obsolete punctatis.

Germ. Mag. 2. Mon. 217. 73. Kirby. Trans. Linn. Soc. 9. p. 62. 44. Tab. 1. f. 15.

Habitat in graminosis aridis passim.

Parvum, angustum, Ap. flavipedi aequale. Ca-
p. 1 - p. 2

put breve, latiusculum, nigrum, obsolete punctulatum, fronte sulcis duobus, profundis, brevibus, postice confluentibus, litteram γ , inversam formantibus, impressa; rostrum longitudine fere capitis cum thorace, maris supra punctulatum, feminae paulo longius, magis arcuatum, laeve, nitidum; oculi parum prominuli, brunnei. Antennae vix basin thoracis superantes, paulo ante basin rostri insertae, crassae, totae nigrae, clava ovato-acuminata. Thorax angustus, cylindricus, obsolete punctatus, parce pubescens, foveola brevi baseos impressus. Scutellum parvum, punctiforme, concolor. Elytra ob-ovata, antice thorace multo latiora, lateribus ampliata, apicem versus angustiora, thorace fere quadruplo longiora, supra convexa, nigra, sub-nitida, parce pubescentia, sat profunde sulcata, sulcis obsoletius punctatis, interstitiis latis, planis, in femina subtiliter coriaceis. Corpus subtus nigrum, punctis majusculis remotis adpersum. Pedes validi, tarsi crassiusculis.

7. *A. stolidum*: angustum, nigrum, parce pubescens, fronte sulcis duobus longioribus, postice conniventibus, thorace antice subangustiore, obsoletius punctato-striatis.

Germ. Mag. 2. Mon. p. 218. 74. Tab. 2. f. 5. a, b.

Habitat prope Holmiam. *Dom. Schönherr*; in Smolandia *Dom. Boheman*.

Praecedenti simillimum et valde affine, sed plus duplo majus, sulci frontales longiores, minus profunde insculpti, elytra longiora etc. Corpus totum nigrum, pilis depressis cinereis parce adpersum. Caput breve, latum, nigrum, punctulatum, collo laevi exserto thoraci adnexum; in medio frontis sulci duo impressi, postice conniventes, minus profundi et longiores quam in praecedenti; oculi prominuli brunnei; rostrum longitudine capitis cum thorace, maris paulo brevius, punctulatum, feminae laeve, nitidum. Antennae ut in priori. Thorax angustus, non exacte cylindricus, sed

sed antèrius paulo angustior, ceterum obsoletius punctatus, parce pubescens, ut in priori. Elytra oblongo-ovata, thorace quintuplo longiora, supra modice convexa, minus profunde striata quam in priori, et in striis obsoletius punctata. Corpus et pedes ut in priori.

8. *A. Hookeri*: breve, nigrum, sub-pubesces, thorace lateribus rotundato-ampliato, supra crebre punctulato, elytris nitidioribus profunde sulcato-punctatis, interstitiis planis transversim strigosis.

Kirby. Trans. Linn. Soc. 9. 69. 52. Tab. 1. f.

18. *Germ. Mag. 2. Mon. p. 258. 92.*

Habitat in Finlandiæ pino et abiete. *Dom.*

Prytz et Sahlberg.

Statura brevior, fere *A. Sorbi*, et minoribus ejus æquale. Caput porrectum, latiusculum, nigrum, opacum, punctulatum, tenue pubescens; rostrum maris thorace brevius, crassiusculum, punctulatum, opacum; feminae longius, magis tenue, sub-arcuatum, exterius nitidum. Antennae crassae, nigrae, vix basin thoracis attingentes, clava ovato-acuminata. Thorax antice angustior, lateribus valde rotundato-ampliat, basi sub-truncatus, supra convexus, sub-pulvinatus, niger, opacus, confertim punctulatus, tenue pubescens, intra basin foveola parva impressus. Scutellum parvum, triangulare, nigrum. Elytra magna, ovata, humeris elevatis, lateribus ampliata, inflexa, apice rotundata, supra valde convexa, nigra, magis nitida, profunde sulcata et in sulcis evidenter punctata, interstitiis latis, planis, subtilissime transversim strigosis. Corpus subtus nigrum, sat profunde punctatum, vix pubescens. Pedes validi nigri, tarsi dilatati, subtus cinereo-spongiosis.

9. *A. Sahlbergii*: breve, nigrum, sub-pubesces, antennis longioribus posticis, rostro

stro crasso, arcuato, inaequali, thorace profundius punctato, elytrorum sulcis angustis, obsolete punctatis, interstitiis latis, planis, transversim strigulosis.

Hummel Essais Ent. 4. 61. 4.

Habitat in Fennia australi ad Willnäs, *Dom.*

Com. de Mannerheim; ad Sparrsätra Vestrogothiae. *Dom. Schönherr*, junior.

Ap. Hookeri Kirby, Germar, simillimum et valde affine, sed differt: rostro crassiore, longiore, magis arcuato et inaequali, antennis longioribus, thorace profundius punctato, elytrorum sulcis angustioribus, obsolete tantum punctatis. Caput oblongum, angustum, fronte inter oculos ruguloso-punctata; oculi prominuli, brunnei; rostrum crassiusculum, maris breve, feminae longitudine fere capitis cum thorace, valde arcuatum, confertim rugoso-punctatum, ante antennis supra obsolete carinatum. Antennae nigrae, pubescentes, basin thoracis fere attingunt, clava oblongo-ovata. Thorax antice angustior, truncatus, lateribus rotundato-amplius, basi in medio subemarginatus, angulis lateralibus fere rectis; supra convexus, sat crebre et profunde punctatus, canalicula abbreviata baseos impressus; niger, opacus, sub-pubescent. Scutellum parvum, triangulare nigrum. Elytra antice thorace multo latiora, tuberculo humerali elevato, glabra; lateribus nonnihil ampliata, apice rotundata, supra valde convexa, nigra, sub-nitida, sulcis profundis, sed angustis obsoletissime punctatis, exarata, interstitiis sulcis duplo latioribus, planis, subtilissime transversim strigosis. Corpus subtus nigrum, sat profunde punctatum, parce pubescens. Pedes longiusculi, validi, nigri, pubescentes, punctati, femoribus sub-clavatis, tarsis dilatatis, subtus albidospongiosis.

Obs. *Ap. vicinum* Kirby, Germar, *Ap. Loti*, *Ins. Sv.* etiam huic affine, sed fere duplo minus, rostrum

strum magis tenue, thoracis latera parum dilatata, et elytrorum sulci lati, rude punctati etc.

Dom. Doctori C. R. Sahlberg, in Academia Abo-ensi Historiae Naturalis Professore, plurium operum ad Entomologiam spectantium auctori celeberrimo, amico suo exoptatissimo, hanc speciem dedicavit Schönh.

10. *A. aeneum.* *Ins. Sv.* 3. 40. 8. *Germ. Mag.*

2. *Mon. p.* 249. 103. *Tab. 3. f. 8. Kirby.*

Trans. Linn. Soc. 9. p. 74. 58.

11. *A. radiolus.* *Germ. Mag.* 2. *Mon. p.* 246.

101. *Tab. 2. f. 13. Kirby. Trans. Linn.*

Soc. 9. p. 76. 56. et *App.* 10. p. 56. 57.

Apion aterrimum, *Ins. Sv.* 3. 41. 9.

Apion oxurum, *Germ. Mag.* 2. *Mon.* 247. 102.

Tab. 4. f. 1. Kirby. Trans. Linn. 9. p. 73. 57.

12. *A. gibbirostre.* *Ins. Sv.* 3. 52. 19. *Dej.*

Cat. p. 81.

Apion carduorum, *Germ. Mag.* 2. *Mon. p.*

241. 96. *Kirby. Trans. Linn. Soc.* 9. p. 72.

55. *Tab. 1. f. 19.*

13. *A. Onopordi:* atrum, glabrum, thorace

oblongo, cylindrico, profunde punctato, po-

stice canaliculato, elytris ovalibus virescenti-

aeneis, punctato-sulcatis.

Kirby. Trans. Linn. Soc. 9. p. 71. 54. et *app.*

10. 24. *Germ. Mag.* 2. *Mon. p.* 240. 95.

Tab. 2. f. 14.

Var. *b,* elytris coeruleo-virescentibus. *Kir-*

by. Germ. l. c. var. β.

Var. *c,* elytris violaceis vel nigro-coeruleis.

Kirby. Germ. l. c. var. γ.

Habitat in Scania. *Dom. Prof. Zetterstedt*;
in Kinnakulle Vestrogothiae, ipse.

Statura praecedentis, sed paulo minus. Caput breve, porrectum, nigrum, depressum, inter oculos rugoso punctatum, oculis brunneis, sub-prominulis; rostrum crassiusculum, sub-arcuatum, feminae longitudine capitis cum thorace, maris brevius; in utroque ad antennarum insertionem nonnihil tumidum, totum nigrum. Antennae breves, crassae, nigrae, clava ovata acuminata. Thorax latitudine longior, cylindricus, basi sub-bisinuatus, supra convexus, niger, punctis majusculis, valde profundis confertim perforatus et intra basin canalicula brevi, profunda impressus. Scutellum parvum, elevatum, elytris concolor. Elytra ovata, thorace multo latiora, lateribus ampliata, inflexa, apice rotundata, supra modice convexa, profunde sulcata et in sulcis punctata, interstitiis latioribus, planis; aut virescenti-aenea, aut coeruleo-virescentia, aut nigro-violacea, nitida. Corpus subtus nigrum, sat profunde punctatum. Pedes validi nigri, tarsis dilatatis, subtus cinereo-spongiosis.

Stirps 2. Manip. 1. Ant. basilaribus cont.

* * Pedibus pallidis.

14. *A. vernale* p. 33. 2. *Germ. Mag.* 2. *Mon.* p. 131. 7. *Tab.* 2. *f.* 7. *Kirby. Trans. Linn. Soc.* 9. p. 21. 4.

15. *A. rufi-rostre*: nigrum, supra parce, subtus dense albido-pubescent, antennis pedibusque pallide rufis, thorace brevi, postice latiore elytris nitidis, sulcato-punctatis. *Mas*: rostro brevior dimidiato anoque rufis. *Femina*: rostro longiore toto anoque nigris.
Germ.

Germ. Mag. 2. *Mon.* p. 154. 23. *Kirby. Trans. Linn. Soc.* 9. p. 35. 17. *Herbst. Col.* 7. 111. 10. *Tab.* 102. 10. *k. Oliv. Ent.* 5. 84. 33. 48. *Attel. Tab.* 3. f. 48.

Attelabus rufirostris, *Fabr. S. El.* 2. 424. 43.

Apion Malvarum; *Kirby. Trans. Linn. Soc.* 9. 33. 16. *Femina.*

Habitat in Scaniae Malvis. *Dom. Prof. Zetterstedt et Sahlberg.*

Ap. flavipede paulo majus. Caput latiusculum, porrectum, depressum, nigrum, confertim ruguloso-punctatum, tenue pubescens; rostrum maris vix capite duplo longius, crassum, cylindricum, basi nigrum, punctatum, exterius rufo-flavum, nitidum, laeve, apice ipso infuscato; rostrum feminae longitudine capitis cum thorace, minus crassum, totum nigrum, nitidum. Antennae vix thoracis basin attingunt, in mare totae flavo-rufescentes, in femina ferrugineae, clava fusca. Thorax latitudine baseos paulo brevior, anterieus angustior, lateribus rotundato-ampliatus, basi sub-bisinuatus, supra convexus, subpulvinatus, crebre subtiliter punctatus, ad basin obsolete canaliculatus, niger, obscurus, tenue pubescens. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum. Elytra antice thorace latiora, humeris elevatis, lateribus ampliata, inflexa, apice sub-acuminata, supra valde convexa, praesertim posterius; subtiliter striata, striis vix punctulatis, interstitiis latis, planis sub-coriaceis; aut nigro-aenea, aut virescentia, sub-nitida, pube longiori cinereo-albida parce adspersa. Corpus subtus nigrum, punctatum, pube densa, albida tectum, ano maris rufo-testaceo. Pedes validi, rufo-testacei, tarsi infuscatis.

16. *A. pallipes* p. 34. 3. *Kirby. Trans. Linn. Soc.* 9. 38. 20. *Tab.* 1. f. 7. *Germ. Mag.* 2. *Mon.* 160. 26. et add. 255. 3.

Apion geniculatum, Germ. Mag. 2. Mon. p. 175. 36. Tab. 3. f. 25. et Mag. 3. App. p. 39.

Stirps 2. Manip. 2. Antennae in medio rostri insertae.

* Pedibus pallidis.

17. *A. viciae* p. 35. 4. Kirby. Trans. Linn. Soc. 9. 31. 14. Germ. Mag. 2. Mon. p. 150. 20. Tab. 4. f. 15. Add. p. 255. 4. et App. P. 3. 58.

18. *A. varipes*: nigrum, glabrum, antennarum basi femoribus tibiis annulo rufis, thorace oblongo, profunde punctato, postice canaliculato, elytris oblongo-ovalibus, punctato-striatis, rostro arcuato.

Germ. Mag. 2. Mon. p. 173. 34. Tab. 4. f. 19.

Apion flavi-femoratum, Kirby. Trans. Linn.

Soc. 9. p. 43. 23. var. β .

Apion flavipes, Ins. Sv. 2. 36. 5. var. *c*.

Habitat in pratis rarius.

Varietatem *Ap. flavipedis* olim credidi, sed distinctum videtur, duplo majus, rostrum valde arcuatum, thorax profundius punctatus et pedum color alius. Caput breve, depressum, nigrum, inter oculos striato-punctatum, oculis brunneis, valde prominulis; rostrum maris capite cum thorace brevius, feminae multo longius, in utroque valde arcuatum, nigrum, supra punctulatum, apice nitidum. Antennae breves, nigrae, articulis primis rufo-ferrugineis, clava ovato-acuminata, pubescente. Thorax latitudine longior, sub-cylindricus, niger, confertissime et sat profunde punctatus, versus basin canalicula profunda, abbreviata impressus. Scutellum minutum nigrum. Elytra

tra oblongo-ovalia, antice thorace parum latiora, humeris rotundatis, tuberculo elevato instructis; lateribus ampliata, inflexa, apice rotundata, supra valde convexa, nigra, nitida, minus profunde striata, striis obsoletius punctatis, interstitiis planis, sub-coriaceis. Corpus subtus nigrum, nitidum, parce punctatum. Pedes longiusculi, validi, femoribus rufo-testaceis, apice nigris, tibiis anticis fere totis testaceis, reliquis nigris, annulo prope basin testaceo; tarsi omnes toti nigri.

19. *A. Ononidis*: nigrum, glabrum, antennarum basi femoribusque omnibus rufis, thorace oblongo, inaequali, profunde punctato, elytris oblongo-ovalibus, sulcato-punctatis, rostro longo arcuato.

Habitat in Bahusiae maritimis; prope Udevalliam, in Ononide arvensi copiose lectum.

Praecedenti simile et affine, sed dimidio majus et ultra, et in pluribus distinctum. Caput cum oculis latitudine fere thoracis, nigrum, inter oculos depressum, evidenter striatum, striis in basin rostri continuatis; oculi prominuli, nigro-brunnei; rostrum feminae capite cum thorace fere longius, maris paulo brevius, in utroque valde arcuatum, nigrum, versus basin striatum, exterius nitidum, laeve. Antennae longiusculae, tenues, articulo primo longo, rufescente, sequentibus fusco-ferrugineis, clava ovata nigra, griseo-pilosa. Thorax latitudine longior, sub-cylindricus, sed lateribus inaequalis, bis quasi leviter coarctatus, angulis posticis sub-prominulis; basi truncatus, supra convexus, confertissime et profunde punctatus, punctis probe inspectis quasi ocellatis vel umbilicatis; canaliculae rudimentum prope basin obsoletum; totus saturate niger, non nitidus. Scutellum mediocre, rotundatum, nigrum. Elytra oblongo-ovalia,

lia, thorace latiora, humeris rotundatis, tuberculo humerali oblongo, elevato notatis; pone basin ampliata, lateribus inflexa, apice obtusa, supra valde convexa, sat profunde sulcata, sulcis catenato-punctatis, interstitiis planis, transversim strigosis, vel coriaceis; tota nigra, magis nitida. Corpus subtus nigrum, subnitidum, obsoletius punctulatum. Pedes elongati, validi, femoribus late rufis, apice nigris, tibiis anticis interne testaceis, externe fuscis, tibiis posterioribus tarsisque omnibus nigris.

20. *A. apricans*: nigrum, glabrum, antennarum basi, femoribus omnibus tibiisque anticis rufis, thorace oblongo, sub-cylindrico, subtilius punctato, elytris ob-ovalibus sulcato-punctatis, rostro longiore, parum arcuato.

Germ. Mag. 2. Mon. 165. 30. Tab. 4. f. 14.

a, b. Herbst. Col. 7. 117. 17. Tab. 103. f. 5. e.

Apion flavi-femoratum, Kirby. Trans. Linn.

Soc. 9. p. 42. 23.

Apion flavipes, Ins. Sv. 3. 36. 5. var. *b.*

Curculio trifolii, Marsh. Ent. Br. 1. 246. 22.

Habitat in pratis passim, apud nos minus frequens.

Ap. flavipedi, cujus varietatem olim credidi, paulo majus, in elytris latius, et colore pedum distinctum. Caput oblongum, depressum, nigrum, inter oculos subtiliter ruguloso-striatum, oculis brunneis, non prominulis; rostrum feminae longitudine capitis cum thorace, maris brevius, in utroque nigrum, versus basin punctulatum, exterius laeve, nitidum, parum arcuatum. Antennae breviores, articulo primo pallide testaceo, sequentibus fusco-ferrugineis, clava ovata nigra. Thorax latitudine paulo longior, sub-cylindricus, vel antrorsum paulo angustior, supra

pra convexus, confertim subtilius punctatus, canalicula brevi postica impressus; totus niger, sub-nitidus. Scutellum minutum, nigrum. Elytra ob-ovalia, minus elongata, thorace multo latiora, supra valde convexa, nigra, nitida, parum coerulescenti-micantia, sat profunde striata et in striis evidenter punctata, interstitiis planis, sub-laevibus. Corpus subtus nigrum, parum nitidum, obsolete punctulatum. Pedes quoad formam et colores omnino ut apud praecedentem descripti.

21. *A. assimile*: angustum, nigrum, glabrum, antennis basi piceis, femoribus rufis, thorace cylindrico, subtilius punctato, elytris angustis, oblongo-ovatis, punctato-striatis, rostro longiore arcuato.

Germ. Mag. 2. Mon. p. 164. 29. et *Tom.* 3. app. p. 39. *Kirby. Trans. Linn. Soc.* 9. 42. 22.

Apion flavipes, *Ins. Sv.* 3. 36. 5. sub var. b.

Habitat in pratis aridis sat frequens.

Praecedenti, ut et *A. flavipedi* simillimum, et certe nimis affine; distingui tamen posset, ab *A. apricante*: quod fere dimidio minus, frons inter antennis vix striata, antennarum basis picea, nec rufescens et elytra longiora, multo angustiora, minus nitida et minus profunde punctato-striata; — *A. flavipedi* statura et magnitudine aequale, sed color baseos antennarum et tibiaram alius; ulterior descriptio superflua, nam in ceteris cum nominatis convenit.

22. *A. aestivum*: nigrum, nitidum, femoribus omnibus tibiisque anticis rufis, antennis totis nigris, thorace cylindrico subtilius punctato; elytris latioribus ovalibus, sulcato-punctatis.

Germ. Mag. 2. Mon. p. 169. 31. *Tab.* 4. f. 16.

Apion

Apion flavi-femoratum, Kirby. *Trans. Linn. Soc.* 9. 43. var. β .

Habitat in pratis aridis sat frequens.

Praecedentibus iterum simillimum et valde affine, statura *A. apricantis*, sed magnitudine a. assimilis. Caput breve, nigrum, depressum, latitudine fere thoracis, inter oculos subtiliter striatum; oculi brunnei, non prominuli; rostrum feminae capite cum thorace fere longius, arcuatum, nigrum, nitidum; maris paulo brevius, basi punctatum. Antennae breviusculae, totae nigrae, excepta basi intima articuli primi, quae interdum piceo-ferruginea. Thorax latitudine paulo longior, angustus, sub-cylindricus, supra minus convexus, confertim subtiliter punctatus, canalicula baseos obsoleta; totus niger, sub-nitidus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum. Elytra breviora, ovalia, thorace multo latiora, humeris elevatis, obtusis; supra valde convexa, sat profunde sulcata et in sulcis evidenter punctata, interstitiis planis, laevibus; tota nigra, nitida. Corpus subtus nigrum, parum nitidum, obsoletius punctatum. Pedes omnino ut apud praecedentes descripti.

23. *A. flavipes*. *Ins. Sv.* 3. 36. 5. *Germ. Mag.* 2. *Mon.* p. 158. 25. *Tab.* 4. f. 13. *Kirby. Trans. Linn. Soc.* 9. 37. 19.

Obs. Varietates in *Ins. Sv.* l. c. allatae, deleantur, utpote ad proprias, jam descriptas species pertinentes.

24. *A. frumentarium*. *Ins. Sv.* 3. 32. 1. *Apion haematodes*, *Germ. Mag.* 2. *Mon.* p. 251. 104. et add. p. 255. 1. *Kirby. Trans. Linn. Soc.* 9. p. 36. 59.

Obs. Synonymia hujus speciei vix extricanda, propter nimiam brevitatem et insufficientiam descriptionum. *A. frumentarium* Germarii et Kirbyi loc. cit. No. 105. et 60, ut et Herbstii, nostro quidem simili-

simile, et rostro arcuato itidem instructum, sed plus duplo majus, thorax lateribus rotundatus etc., ideoque specie distinctum, sed in Suecia non occurrit, quantum mihi innotuit, ideoque nec Insectum a Linnaeo et Paykullio descriptum esse possit; quare nomen illorum nostro competit. Inter specimina collectionis nostri, heic lecta, individua plura invenio, quorum rostrum longius, angustius et fere omnino rectum, quae differentia speciem separatam denotare videtur. Cl. De Géer, in descriptione *Curculionis sanguinei*, Ins. Tom. 5. 251. 40. dicit: „La trompe est deliée et de la longueur du corcelet,” quod priori non competit, cui rostrum breve, crassum, quare nomen de Géeri jam memorato tribuendum.

25. *A. sanguineum*: pallide sanguineum, opacum, sub-pubescent, oculis solis nigris, rostro longiore, paulo angustiore, recto, pedibus pallidioribus, elytris crenato-striatis. *Curculio sanguineus*, De Géer Ins. 5. 251. 40. Habitat cum praecedente passim.

Magnitudo, statura, color et omnia ut in praecedenti omnino, rostro solo excepto; hoc in femina longitudine fere capitis cum thorace, cylindricum, glabrum, nitidum, fere omnino rectum; in mare tertia parte brevius, paulo latius, supra punctulatum, parum nitidum, itidem rectum.

Stirps 2. Manip. 2. ** Pedibus obscuris.

26. *A. seniculus*. *Germ. Mag.* 2. *Mon.* 216. 72. Kirby. *Trans. Linn. Soc.* 9. 61. 43. *Apion tenuius*, Ins. Sv. 3. 57. 25. *Germ. Mag.* 2. add. p. 258. 25. et *Pars* 3. app. p. 45. *Apion plebejum*, *Germ. Mag.* 2. *Mon.* p. 215. 71. et *P.* 3. app. p. 43.

Obs.

Obs. In nonnullis individuis utriusque sexus, thorax antice leviter constrictus, unde margo ipse elevatus apparet; *Apion elongatum* Germ. Mag. 2. Mon. p. 214. 70. Tab. 4. f. 7. certe huc pertinet.

27. *A. civicum*: nigrum, griseo - pilosum, thorace transverso, punctulato, elytris latioribus oblongo - ovalibus, sulcato - punctatis, rostro longiori arcuato.

Germ. Mag. 2. Mon. p. 254. 88. Tab. 5. f. 12. a, b.

Habitat in Scania, Dom. Prof. Zetterstedt; e Germania a Dom. Schüppel benevole missum.

Praecedenti paulo majus, praesertim in elytris latius. Caput latitudine fere thoracis, depressum, nigrum, inter oculos sub-striatum; oculi brunnei, subprominuli; rostrum feminae longitudine fere capitis cum thorace, maris brevius, in utroque arcuatum, nigrum, punctatum, pubescens, feminae extrorsum nitidum. Antennae in medio rostri insertae, longiusculae, nigrae, clava oblongo-ovata, pilosa. Thorax latitudine paulo brevior, sub-cylindricus, niger, pubescens, crebre subtilius punctatus, canalicula baseos impressus. Scutellum minutum, concolor. Elytra antice thorace fere dimidio latiora, humeris sub-rectangulis, lateribus ampliata, inflexa, apice attenuata, rotundata, supra valde convexa, nigra, longius cinereo-pubescentia, late et profunde striata, striis rude punctatis, interstitiis angustis, sub-convexis. Corpus subtus nigrum, non nitidum, confertim punctatum. Pedes longiusculi nigri, pubescentes.

28. *A. superciliosum* p. 58. 26. Germ. Mag. 2. add p. 259. 26. et P. 3. app. p. 45.

Apion triste, Germ. Mag. 2. Mon. p. 233. 86.
Tab. 3. f. 2. teste D. Schüppel.

29. *A. angustatum* p. 56. 24. Germ. Mag.
2. Mon. p. 221. 76. et add. p. 250. 24.
Kirby. Trans. Linn. Soc. 10. p. 67.

Apion modestum, Germ. Mag. 2. Mon. p. 234.
87. Tab. 4. f. 6. teste Dom. Schüppel.

30. *A. minimum* p. 59. 27. Germ. Mag. 2.
Mon. p. 256. 90. Tab. 3. f. 9.

Apion velox, Kirby. Trans. Linn. Soc. 10.
349. 64. Germ. Mag. 2. Mon. 199. 55.
Pars 3. app. p. 41.

31. *A. humile*. Germ. Mag. 2. Mon. 232.
85. Tab. 3. f. 1.

Apion brevirostre, Ins. Sv. 3. 52. 20. Oliv.
Ent. 5. 81. 36. 52. Attel. Tab. 3. f. 52.
Kirby. Trans. Linn. Soc. 9. 68. 51.

Apion curtirostre, Germ. Mag. 2. Mon. 230.
84. et P. 3. app. p. 45.

Obs. *Apion brevirostre* Herbstii ad Basi-
cornes pertinet, quare hoc Synonymon excludendum
et nomen mutandum.

32. *A. Sedi*: brevirostre nigrum, tenue pu-
bescens, fronte rugoso-punctata, thorace
cylindrico, parcius vage punctato, elytris
oblongo-ovalibus punctato-striatis.

Germ. Mag. 3. app. p. 49. 5.

Habitat in plantis, locis aridis, raro lectum.

Praecedenti simillimum, sed multo minus, frons
evidentius rugoso-punctata et thorax minus confertim
punctatus. Caput latitudine fere thoracis, oblongum,
depressum, nigrum, inter oculos ruguloso-striatum,

oculis sub-depressis; rostrum vix capite longius, crassum, rectum, punctatum, pubescens. Antennae breves, nigrae, clava ovata. Thorax latitudine non longior, sub-cylindricus, supra tamen parum convexus, niger, tenue pubescens, punctis sparsis impressus, in disco multo rarioribus quam in priori; in medio basos foveola obsoletior impressa. Scutellum minutum concolor. Elytra ovalia, antice thorace parum latiora, pone medium ampliata, apice rotundata, supra anterior parum convexa, nigra, tenue pubescentia, sulcato-striata, sulcis evidenter punctatis, interstitiis planis; sulcus suturae proximus reliquis latior et profundior, praesertim in medio. Corpus subtus nigrum, magis nitidum, evidenter punctatum, parce pubescens. Pedes breviusculi, validi, nigri, pubescentes.

35. *A. Marchicum*. *Germ. Mag.* 2. *Mon.* p. 197. *Tab.* 3. f. 15. *Pars* 3. *app.* p. 45. et 54. n. 66. *Oliv. Ent.* 5. 81. 56. 53. *Attel. Tab.* 3. f. 53.?

Apion violaceum, *Ins. Sv.* 3. 50. 17. *excluso* *Syn. Herbstii*.

Apion rumicis, *Germ. Mag.* 2. *Mon.* p. 228. 81. *Kirby. Trans. Linn. Soc.* 9. 67. 49.

Obs. Color elytrorum variat, praeter violaceum, coeruleum et virescentem, etiam in aeneum et tandem fere nigrum abit. Nomen mutandum, utpote jam sequenti additum.

34. *A. violaceum*: nigrum, sub-glabrum, rostro breviusculo, arcuato, thorace sub-cylindrico, vage, parcius punctato, foveola cuneiformi impresso, elytris elongato-ovalibus punctato-sulcatis cyaneis.

Kirby. Trans. Linn. Soc. 9. 65. 47. *Tab.* 1. f. 16.

16. *Germ. Mag.* 2. *Mon.* p. 224. 79. et *P.* 3. *app.* p. 44.

Var. *b*, elytris virescentibus. *Germ. l. c.* var. β .

Var. *c*; capite thoraceque sub-aeneo-micantibus, elytris coeruleo-virescentibus. *Germ. l. c.* var. γ .

Apion cyaneum, *Herbst. Col.* 7. 106. 7. *Tab.* 102. *f.* 7. *G.*

Habitat in Scania. *Dom. Prof. Zetterstedt, Sahlberg et Com. Mannerheim*; in Vestrogothia. *Dom. Schönherr.* Var. *c*, in Smolandia. *Dom. Boheman.*

Medium quasi inter *Ap. Marchicum* et *Hydrolapathi*; priori multo longius, thorax angustior, rostrum crassius, elytra minus convexa; posteriori minus, rostrum longius, arcuatum, thorax parcius punctatus, foveola postica profundiore, cuneiformi impressus, cum in *A. Hydrolapathi* thorax confertissime punctulatus, canalicula postica angusta, tenui, abbreviata, notatus. Caput oblongum, nigrum, nitidulum, punctatum, inter oculos sub-striatim rugulosum; oculi sub-prominuli, brunnei; rostrum longitudine fere thoracis, crassiusculum, arcuatum, nigrum, basi punctatum, externe nitidum. Antennae rostro paulo longiores, nigrae, clava majuscula, acuminata. Thorax angustus, capite vix latior, cylindricus, niger, interdum sub-aeneo-micans, nitidus, sat profunde et distincte, sed minus crebre punctatus, foveola baseos profunda, cunei-formi impressus. Scutellum parvum, nigrum, laeve. Elytra antice thoracis basi multo latiora, humeris rotundatis, lateribus ultra medium ampliata, apice rotundata, supra in dorso anteriore fere plana, posterius convexiora; aut coerulea, aut violaceo- et virescenti-micantia, nitida, profunde sulcata et in sulcis evidenter punctata, interstitiis fere planis, sub-laevis. Corpus subtus nigrum, nitidum, la-

teribus crebre, in medio parcius punctatum. Pedes elongati, validi, femoribus sub-clavatis, nigris, nitidis, tibiaram apice tarsisque pubescentibus.

35. *A. Hydrolapathi* p. 51. 18. Kirby. *Trans. Linn. Soc.* 9. 60. 18. *Germ. Mag.* 2. *Mon.* p. 226. 80. *Tab.* 3. f. 14. et P. 3. app. p. 44. et 54.

Obs. Differentias a praecedente ibi indicavi; striae elytrorum attentius inspectae, revera punctatae sunt, subtilius tamen et obsoletius quam in priori.

36. *A. virens*. Kirby. *Trans. Linn. Soc.* 9. 55. 32. *Germ. Mag.* 2. *Mon.* p. 193. 52. et P. 3. app. p. 54. 68. *Herbst. Col.* 7. 118. 18. *Tab.* 103. f. 6. F.

Apion aeneocephalum, *Ins. Sv.* 3. 49. 6.

Obs. Teste Dom. Schüppel, *Apion virens* Herbstii huc pertinet, quare nomen mutandum.

37. *A. ebeninum* p. 48. 15. *Germ. Mag.* 2. *Mon.* p. 197. 54. *Tab.* 4. f. 3. Kirby. *Trans. Linn. Soc.* 9. 55. 34. *Tab.* 1. f. 11.

38. *A. astragali* p. 44. 11. *Germ. Mag.* 2. *Mon.* p. 200. 56. *Tab.* 3. f. 22. Kirby. *Trans. Linn. Soc.* 9. p. 55. 35. *Thunb. Act. Ups.* 7. 118.

39. *A. Gyllenhalii*. Kirby. *Trans. Linn. Soc.* 9. p. 62. 45. *Germ. Mag.* 2. *Mon.* p. 219. 75. add. p. 257. 22. et P. 3. app. p. 42. *Apion Aethiops*, *Ins. Sv.* 3. 54. 22. exclusis *Synonymis*.

Apion unicolor, Kirby. *Trans. Linn. Soc.* 9. 58.

58. 39. *Germ. Mag. 2. Mon. p. 206. 63. et P. 3. app. p. 42.*

Obs. *Apion Aethiops Herbstii* ad sequentem pertinet, teste Dom. Schüppel, quare placuit Dom. Kirby nomen mutare.

40. *A. Aethiops. Herbst. Col. 7. 120. 21.*

Tab. 103. f. 9. J. Germ. Mag. 3. app. p.

54. 83. et p. 43. Pars 2. Mon. p. 213.

Apion Marchicum, Ins. Sv. 3. 47. 14. excluso Synonymo Herbstii.

Obs. Nomen *Herbstii* erroneae a me adhibitum, ideoque mutandum.

41. *A. Ervi p. 55. 23. Germ. Mag. 2. Mon.*

p. 133. 8. Tab. 3. f. 13. Kirby. Trans.

Linn. Soc. 9. p. 23. 5.

Var. *b*, antennis totis pallide testaceis. Mas.

Apion Lathyri, Kirby. Trans. Linn. Soc. 9. 24.

6. Germ. Mag. 2. Mon. p. 155. 9.

Var. *b*, differt tantum antennis totis pallide testaceis, et hi semper masculini sexus, quorum rostrum brevius, magis pubescens; clava antennarum oblonga, acuminata, articulis in femina magis coarctatis quam in mare.

42. *A. vorax p. 23. 21. Germ. Mag. 2. Mon.*

p. 141. 14. Tab. 3. f. 3, Kirby. Trans.

Linn. Soc. 9. p. 28. 9.

43. *A. foveolatum. Kirby. Trans. Linn. Soc.*

9. 48. 27. Germ. Mag. 2. Mon. p. 183. 44.

Apion cyaneum, Ins. Sv. 3. 45. 12. exclusis

Synonymis Fabricii et Herbstii, utpote erroneae allatae, quare etiam nomen mutandum.

Obs. Oculi globosi supra frontem assurgunt, unde
frons

frons impressa apparet, quamvis revera plana est, nec ut in sequente et *Ap. columbino* excavata, quare nomen minus aptum. Var. γ . Kirby l. c. femina, rostro inter antennis puncto impresso, etiam heic occurrit, sed modo fortuita mihi videtur.

44. *A. intrusum*: nigrum, albido - pubescens, fronte intrusa, striata, rostro crassiore, sub-arcuato, elytris gibbosis coeruleis, sub-glabris, sulcato-punctatis.

Apion foveolatum var. β , Kirby, Germar, locis apud praecedentem citatis.

Habitat in Kinnakulle Vestrogothiae, pluries lectum. *Dom. Schönherr* et *Auctor*.

Praecedenti simillimum et valde affine, distinctum tamen videtur, notis in diagnosi indicatis. Caput porrectum, elongatum, posterius quasi constrictum, inter oculos profunde impressum, striis 3 l. 4, insculptum, vertice elevato, convexo; totum nigrum, punctatum, pube rigida, griseo-albida, parcius adpersum; oculi brunnei, prominuli; rostrum maris capite duplo longius, crassum, arcuatum, undique confertim punctulatum, densius pubescens; rostrum feminae adhuc longius, minus crassum, parum pubescens, unde magis nitidum, aequè punctulatum. Antennae longiusculae, tenues, nigrae, basi piceae, clava oblonga, distincte articulata. Thorax latitudine media brevior, antice paulo angustior, sed non constrictus, nec margo anticus elevatus, ut in priori; lateribus rotundato-ampliatus, basi sub-bi-sinuatus, supra modice convexus, confertim sed obsoletius granulato-punctatus, canalicula sat profunda postice impressus; totus niger, pilis rigidis griseo-albidis adpersus. Scutellum minutum nigrum. Elytra brevía, valde convexa, structura omnino ut in priori, sat profunde sulcato-punctata, interstitiis planis, coriaceis; coerulea sub-nitida, fere glabra. Corpus subtus nigrum, punctatum, densius

sus albedo - pubescens. Pedes elongati, validi, nigri, pubescentes.

45. *A. columbinum*: nigrum, sub-pubes-
cens, fronte intrusa, sulcata, rostro elon-
gato, arcuato, thorace sub-cylindrico, pro-
funde punctato, postice canaliculato, ely-
tris ovalibus punctato-sulcatis. cyaneis.

Germ. Mag. 2. Mon. p. 185. 45.

Habitat in caulibus et foliis *Lathyri hetero-*
phylli et *latifolii*, ad Mysseberg Vestro-
gothiae copiose lectum.

Praecedenti paulo majus, longius, primo adpectu sub-simile, sed abunde distinctum, rostro multo lon-
giore, elytris ovalibus, minus convexis etc. Caput oblongum, pone oculos constrictum, fronte profunde intrusa et in fundo sulcata, vertice elevato, convexo; totum nigrum, sat profunde punctatum, tenue pubescens; oculi majusculi, laterales, prominuli, brunnei; rostrum maris longitudine fere capitis cum thorace, crassiusculum, arcuatum, nigrum, punctulatum, tenue pubescens; rostrum feminae adhuc longius, ante antennas magis attenuatum, nitidum. Antennae breviusculae, tenues, nigrae, clava parum crassa, acuminata. Thorax longitudine paulo latior, sub-cylindricus, lateribus perparum ampliatus, basi sub-sinuatus, supra convexus, confertim et profunde rugoso-punctatus, canalicula dorsali, jam evidentiore, elongata, jam brevior, obsoleta, impressus; niger, opacus, parce pubescens. Scutellum rotundatum nigrum. Elytra oblongo-ovalia, minus lata et multo minus convexa quam in prioribus; sulcis latioribus catenato-punctatis exarata, interstitiis planis; vix punctulatis; jam latius coerulea, jam nigro-coerulescentia, parum nitida, tenue pubescentia. Corpus subtus nigrum, confertim punctatum, densius pubescens. Pedes elongati nigri, tenue pubescentes.

46. *A. punctigerum*. *Germ. Mag.* 3. app. p. 40. et *P.* 2. *Mon.* p. 188. 47.

Apion punctiger, *Ins. Sv.* 3. 46. 13. excluso *Synonymo Herbstii*.

Apion sulcifrons, *Kirby. Trans. Linn. Soc.* 9. p. 50. 29.

47. *S. sulcifrons*: atrum, glabrum, thorace profunde sulcato, parce punctato, elytris ovato-globosis, leviter striatis, rostro longo arcuato, fronte intrusa, profunde trisulcata.

Herbst. Col. 7. 182. 25. *Tab.* 103. *f.* 12. *M. Germ. Mag.* 2. *Mon.* p. 189. 48. *Tab.* 2. *f.* 10. *a, b.*

Habitat in Scania rarius, *Dom. Prof. Zetterstedt et Com. de Mannerheim*.

A. Sorbi statura simile, et feminis ejus majoribus aequale, valde tamen distinctum. Caput parvum, angustum, atrum, impunctatum, fronte inter oculos valde intrusa, sulcis tribus profundis exarata, sulco medio antice latiori, postice acuminato; oculi sub-depressi, brunnei; rostrum elongatum, valde arcuatum, nigrum, nitidum, in medio incrassatum, parce et subtilissime punctulatum. Antennae in medio rostri insertae, illoque fere breviores, crassae, clava medio-cri acuminata. Thorax antice paulo angustior, truncatus, basi bi-sinuatus, supra in medio transversim convexior, totus ater, glaber, nitidus, punctis rarioribus, minus profundis adspersus; canalicula dorsalis valde profunda, a basi ultra medium extensa, exaratus. Scutellum minutum, atrum, laeve. Elytra magna, thorace fere duplo latiora et quintuplo longiora, supra valde convexa, ovato-globosa, tota atra, glabra, nitida; juxta suturam utrinque stria profundior, sub-punctata; striae reliquae tenues, obsoletissime pun-

punctulatae, interstitiis latis, planis, laevibus; latera elytrorum inflexa violaceo-micantia. Corpus subtus atro-coeruleum, violaceo-micans, sat profunde punctatum. Pedes elongati validi, femoribus clavatis nigris, tibiis tarsisque piceis.

48. A. Sorbi p. 42. 10. *Germ. Mag.* 2. *Mon.* p. 176. 37. *Tab.* 4. f. 23. *Kirby. Trans. Linn. Soc.* 9. p. 46. f. 25.

Apion carbonarium, *Germ. Mag.* 2. *Mon.* p. 176. 37. *Tab.* 3. f. 17. et *Pars* 3. app. p. 39. *Mas.*

Fam. 2. *Sect.* 2. *Fracticornes.*

LIXUS p. 62.

1. *L. paraplecticus* p. 62.

Obs. Synonymon *Panzeri* excludendum, utpote ad sequentem pertinens.

2. *L. turbatus*: niger, pubescens, flavescens-farinosus, thorace sub-varioloso, flavescens-bilineato, elytrorum apice attenuato, recto, sub-obtuso.

Dom. Schönherr nomen proposuit. *Zetterst. Act, Holm.* 1818. p. 255. *Not.*

Curculio paraplecticus, *Panz. Fn.* 6. f. 15.

Habitat in Scandice cerifolia Calmariae. *Dom.*

Prof. Zetterstedt; in Finlandia. *Dom. Schönherr.*

L. paraplectico plerumque major, praesertim latior, variat tamen magnitudine; punctura thoracis et apice elytrorum recto, non acuto, praecipue distinctus. Caput parvum, confertim punctatum, pubescens, nigrum, oculis depressis brunneis; rostrum crassum, porrectum, perparum arcuatum, confertim punctatum, pube-

pubescens, longitudine capitis cum thorace. Antennae breviusculae, fusco-ferrugineae, clava obscuriore, acuminata, pubescente. Thorax brevior quam in praecedente, caeterum ejusdem structurae, antice angustior, truncatus, basi bi-sinuatus, supra parum convexus, punctis majusculis variolosis parcius impressus, superficie reliqua confertim subtilissime coriacea; niger, lateribus et vittis duabus dorsalibus dense flavo-pubescentibus. Scutellum minutum, immersum. Elytra antice thorace paulo latiora, pone basin nonnihil ampliata, dein versus apicem attenuata, thorace quintuplo longiora, apice recto, nonnihil adscendente, non acuto; supra modice convexa, regulariter striatim punctata, punctis majusculis, distantibus, interstitiis obsolete coriaceis; nigra, pube et pulvere cinereo vel flavescente plus minusve tecta. Corpus subtus nigrum, obsoletius punctatum, dense pubescens. Pedes nigri, pubescentes, antici validiores.

5. *L. Bardanae*: niger, pubescens, flavescenti-farinosus, thorace longiore sub-variolofo, antice obsolete constricto, elytris apice obtusis.

Fabr. S. El. 2. 502. 22. Zetterstedt Act. Holm. 1818. p. 254. 6.

Curculio Bardanae, Herbst. Col. 6. 46. 4. Tab. 62. f. 4.

Habitat in Rumice patientiae et Rheo Rhabbarbaro Calmariae. *Dom. Prof. Zetterstedt.*

Praecedenti coloribus similis, sed plus duplo minor, elytris obtusis abunde distinctus. Caput parvum, breve, punctatum, nigrum, pubescens, oculis subdepressis brunneis; rostrum crassum, feminae longitudine capitis cum thorace, maris paulo brevius et latius, in utroque nigrum, punctulatum, pubescens, basi depressum, supra obsolete carinatum, parum arcuatum. Antennae breviusculae, obscurae ferrugineae. Tho-

Thorax latitudine baseos fere longior, sub-conicus, apice truncatus et pone apicem obsolete constrictus, basi bi-sinuatus, supra parum convexus, niger, undique flavescenti pubescens et pollinosus, foveolis majusculis variolae-formibus confertim impressus, superficie interjacente subtiliter granulata vel coriacea. Scutellum minutum, triangulare, immersum. Elytra thoracis basi vix latiora, sed illo quadruplo longiora, sub-linearia, apice obtusa rotundata, supra convexa, regulariter striatim punctata, punctis majusculis, distantibus, interstitiis confertissime subtiliter granulatis vel coriaceis; nigra, pube et polline cinereo et flavescenti plus minusve tecta. Corpus subtus nigrum, pectore fortius, ventre obsoletius punctulatis, pubescentibus. Pedes validiusculi, nigri, pubescentes, antici longiores, femoribus crassis, tibiis validis arcuatis.

RHYNCHAENUS p. 63.

Obs. Familia Curculionidum, in opere nuper edito, sub titulo: Curculionidum dispositio methodica a Cl. Dom. Schönherr, solertissime elaborata, et in plurima Genera divisa. Illius amicitia suffultus, ad unamquamque a me descriptam speciem indicare volui, cuinam ex his Generibus adnumeranda est.

1. R. arcticus p. 64. Genus: Hylobius,
Schönherr Curc. p. 170.
2. R. Pineti p. 65. *dito.*
3. R. Pini p. 66. Genus: Pissodes, *Schönherr Curc. p. 225.*
4. R. Hercyniae p. 68. *dito.*
5. R. notatus p. 69. *dito.*
6. R. Piniphilus p. 70. *dito.*
7. R. indigena p. 71. Genus: Brachonyx,
Schönherr Curc. p. 232.
8. R.

8. R. Aethiops p. 72. Genus: Erirhinus,
Schönherr Curc. p. 229.

Rhynchaenus Aethiops, Dej. Cat. p. 87.

9. R. bi-maculatus p. 74. Genus: Erirhinus,
Schönherr Curc. p. 229.

10. R. acridulus p. 75. *dito.*

Obs. Varietas pedibus antennisque obscurioribus, piceis, teste Dom. Comite Dejean, est *Rhynchaenus Scirpi*, Fabr. Syst. Eleut. 2. 446. 43. vide *Dej. Cat. p. 87.*

11. R. Festucae p. 76. Genus Erirhinus,
Schönherr.

12. R. Nereis p. 77. *dito.*

Curculio inquisitor, Herbst. Col. 7. p. 42. 600.

Tab. 97. f. 12. G. secundum sententiam Dom.

Sturm, potius huic quam Rh. Festucae competit.

Rhynchaenus typhae, Ahr. Nov. Act. Hall. II.

2. 15. 6. Tab. 1. f. 6. f. cfr. ejusdem operis

Heft. 4. p. 69.

Obs. Rostrum feminae longum, tenue, sub-laeve, ut in descriptione loc. cit. attuli, rostrum maris paulo brevius, multo crassius et evidenter rugoso-punctatum, fere striatum. Indumento detricto, facies Insecti mutatur: Elytra tunc sat profunde crenato-striata videntur, praesertim interius versus suturam; maxima parte rufo-ferruginea, dorso anteriore plus minusve infuscato. Thoracis color variat, aut rufo-ferrugineus, aut piceus aut fusco-niger. Elytra et pedes etiam interdum magis infuscata.

13. R. cylindrus p. 78. Genus Lyprus,
Schönherr Curc. p. 288.

Bagous attenuatus, Dej. Cat. p. 89.

Lixus attenuatus, Ahrens Nov. Act. Hall. II.

Heft. 2. p. 18. 9. Tab. 1. f. 9. i.

14. R. T. album p. 79. Genus Baridius,
Schönherr Curc. p. 274.

Baris atriplicis, Dej. Cat. p. 99.

15. R. Artemisiae p. 81. Gen. Baridius,
Schönherr Curc. p. 274.

Baris Artemisiae, Dej. Cat. p. 99.

16. R. Pruni p. 82. Gen. Thamnophilus,
Schönherr Curc. p. 51.

Obs. Thamnophilus, Schönherr; Magdalis Germar; Rhinodes, Dejean, Genus naturale et egregie distinctum videtur; plures huc pertinentes species, antea aut ignotae aut cum aliis confusae, recentiori aevo etiam intra patriam detectae et determinatae, quapropter etiam diagnosin specierum antea descriptarum emendare necesse est. Aptum ideo censui hoc Genus, quasi in Parenthesi, integrum proponere, etsi plurimae ejus species in sectione sequenti, femoribus nempe dentatis, antea descriptae exstant.

THAMNOPHILUS. Schönh.

(Characterem Generis, a Dom. Germar exhibitum, offerre licet.)

Magdalis, Genus novum.

Rostrum cylindricum, scrobe lineari, obliqua, in canthu infero oculi desinens. Antennae pone medium rostri insertae, mediocres, sub-rectae, scapo curvato, funiculo septem articulato, articulo primo maximo, clava oblonga, sub-solida. Oculi ovati, approximati. Scutellum distinctum, trigonum. Pedes

Pedes breves, tibiis apice oblique truncatis, unco terminalis.

Corpus cylindricum, postice obtusum, antice attenuatum. Antennarum funiculus cum scapo sub angulo obtusissimo (praesertim in maribus) cohaeret, ita ut in nonnullis infractae dici possint. Mares rostro breviori, interdum antennarum clava longiori et oculis prominulis discrepant. Maxilla membranacea, lobo simplici ovato, ciliato. Glossarium membranaceum, oblongo ovatum. Palpi aequales subulati. *Germ. Ins. Spec. I. p. 191.*

1. *T. violaceus*: nigro-coerulescens, capite vix punctulato, thorace oblongo, antice angustiore, margine depresso, lateribus subrotundato, elytris cyaneis punctato-striatis, interstitiis sub-ruguloso-granulatis, rostro modice arcuato.

Magdalis violacea, *Germ. Ins. Sp. I. p. 192. e.*

Rhynchaenus violaceus, *Ins. Sv. 3. 181. 97. ubi*

Synonyma allata et descriptio data, sed diagnosin jam emendavi, propter distinctionem a speciebus valde affinibus, postea detectis. Addendae quoque sunt e Musaeo Dom. Schönherri:

Var. c, elytris virescenti-aeneis; in Vermelandia a Dom. Mellerborg capta; et:

Var. d, tota nigra, e Vestrogothia.

2. *T. frontalis*: nigro-coerulescens, capite evidentius punctulato, thorace breviori antice angustiore, margine reflexo, elytris cyaneis punctato-striatis, interstitiis obsoletius

letius ruguloso tuberculatis, rostro valde arcuato.

Var. *b*, elytris purpurascenti - violaceis.

Habitat in frutetis passim.

Magnitudo, statura et color ut in praecedenti, cui valde affinis. Capitis forma ut in illo, sed evidentius, etsi subtiliter punctulatum et inter oculos striatum; rostrum longius et multo magis arcuatum. Thorax paulo brevior quam in priori, antice minus angustatus et juxta apicem leviter constrictus, unde margo anticus evidenter elevatus, qui in priori depressus. Elytrorum forma, color et striae ut in priori.

3. *T. duplicatus*: niger, capite evidentius punctulato, thorace brevior, antice angustiore, vix constricto, elytris nigro-coeruleis punctato-striatis, interstitiis simpliciter seriatim punctatis, rostro valde arcuato.

Magdalis duplicata, *Germ. Ins. Sp. I. p. 194. 317.*

Var. *b*, elytris etiam nigris. *Germ. loc. cit. var. β.*

Habitat cum prioribus, passim.

T. frontali simillimus et valde affinis, plerumque minor. Caput ut in illo, fronte punctulata, in femina evidentius; rostrum punctatum, valde arcuatum, feminae longitudine capitis cum thorace, maris paulo brevius et crassius. Thorax ut in *T. frontali*, brevior, anterieus paulo angustior, obsoletius constrictus, margine parum elevato, niger, punctatissimus, linea dorsali laeviore, obsoleta. Elytrorum forma ut in prioribus, sed color minus lucidus, nigro coerulescens, interdum niger; striae sat profundae, punctis oblongo-quadratis, impressae; interstitia plana, subtilissime tantum coriacea, et in singulo series regularis, simplex, e punctis parvis impressis, posterius sensim minoribus. Femora omnia in medio crassiora, subtus dente acuto armata.

4. *T. phlegmaticus*.

Rhynchaenus phlegmaticus, *Ins. Sv.* 3. 182. 98.

Magdalis phlegmatica, *Germ. Ins. Spec. I.* 192. f.

Var. *b*, corpore fere toto nigro. *Ins. Sv. l. c.*

Obs. Capite angustiore, crebre et profunde punctato, thorace sub-depresso, antice constricto et elytrorum interstitiis disperse punctatis, a prioribus optime distinguitur.

5. *T. linearis*: niger, parum nitidus, capite latiore, evidenter punctato, thorace oblongo, sub-depresso, profunde punctato, elytris linearibus punctato-striatis, interstitiis disperse punctulatis.

Magdalis virescens, *Germ. Ins. Spec. I.* 195.

318. *var.?*

Habitat in frutetis, semel tantum lectus.

T. phlegmatico var. *b*, in multis similis, diversus tamen, longe minor, angustior, caput latius, magis convexum, thorax antice non constrictus etc. Caput majusculum, convexum, nigrum, confertim punctatum, inter oculos parum impressum; rostrum capite dimidio longius, crassiusculum, valde arcuatum, nigrum, punctatum. Antennae mediocres, basi rufopiceae, medio nigrae, clava magna, oblonga, cinereo-pubescente, distincte articulata. Thorax latitudine longior, antice angustior, vix constrictus, lateribus mox pone apicem ampliatis, dein fere rectis, basi sat profunde bi-sinuatus, angulis acutis; supra perparum convexus, fere planus, niger, confertissime et profunde punctatus; in dorso antico linea abbreviata laevis. Scutellum parvum, oblongum, nigrum. Elytra linearia, thorace parum latiora, sed quadruplo longiora, antice et postice singulatim rotundata, supra modice convexa, tuberculo humerali elevato, oblongo, praedita; late et profunde striata, striis punctis oblongo-

longo-quadratis fere contiguis impressis, interstitiis parum latis, sub-convexis, confuse seu disperse punctulatis et rugulosis; nigra, vix nitida. Corpus sub-tus nigrum, confertim profunde punctatum. Pedes validi nigri, femoribus medio crassioribus, subtus dente parvo armatis.

6. *T. nitidus*: niger, nitidus, capite punctulato, thorace oblongo, supra depresso, subtilius punctato, antice utrinque impresso, elytris punctato-striatis, interstitiis planis, subtilissime sub-disperse punctulatis, rostro sub-recto.

Habitat in Ostrogothia. *Dom. Prof. Zetterstedt. Mus. Dom. Schönherr.*

Statura *T. phlegmatici*, sed minor et abunde distinctus. Caput majusculum, nigrum, nitidum, subtiliter punctatum, fronte inter oculos parum impressa; rostrum capite fere duplo longius, nigrum, nitidum, punctatum, fere rectum. Antennae longiusculae, aut nigro-piceae, aut fusco-ferrugineae, pilosae, clava magna cinereo-pubescente. Thorax oblongus, antice multo angustior, ibique utrinque impressus, obsolete constrictus, lateribus obliquis, fere rectis, basi bi-sinuatus, angulis prominulis acutis; supra depressus, inaequalis, niger, sat crebre sed parum profunde punctatus, canalicula media, posterius profundiore, exaratus. Scutellum oblongum, nigrum, nitidum. Elytra antice thoracis basi parum latiora, humeris sub-rectangulis, pone basin ampliata, apice simultaneae rotundata, supra convexa, minus profunde punctato-striata, interstitiis latis, planis, subtilissime, sub-disperse punctulatis; nigra, magis quam in reliquis nitida. Corpus subtus nigrum, nitidum, tenue pubescens, crebre punctatum. Pedes longiusculi, nigri, femoribus parum crassis, subtus acute dentatis.

7. *T. Cerasi*, *Schönh.*

Rhynchaenus Cerasi, *Ins. Sv.* 3. 183. 99. *ex-*
clusis *Synonymis Fabricii, Paykullii et Panzeri.*
Magdalis Cerasi, *Germ. Ins. Spec. I.* 192. c.
Rhynchaenus Armeniacae, *Fabr. S. El.* 2. 447.
 46. *teste Dom. Germar, sec. Mus. Fabricianum.*

8. *T. Stygius*, *Schönh.*

Rhynchaenus Stygius, *Ins. Sv.* 3. 184. 100. *ex-*
clusis *Synonymis Fabricii, Paykullii et Panzeri.*
Magdalis aterrima, *Germ. Ins. Spec. I.* 193. i.
Rhynchaenus aterrimus, *Fabr. S. El.* 2. 486.
 225. *teste Dom. Germar, sec. Mus. Fabri-*
cianum.

Rhynchaenus Cerasi, *Oliv. Ent.* 5. 85. 229.
 124. *Tab.* 22. *f.* 309.

Rhinodes Cerasi, *Dej. Cat. p.* 98. *ab ipso*
Comite communicatus.

9. *T. atramentarius*, *Schönh.*

Magdalis atramentaria, *Germ. Ins. Spec. I.* 193. g.

Mas: rostro brevi, crasso subrecto, apice
 dilatato, antennis crassis, clava elongata,
 4-articulata.

Rhynchaenus atratus, *Ins. Sv.* 3. 187. 102.

Curculio Cerasi, *Mas, Payk. Fn.* 3. 193. 10.

Femina: rostro tenuiore, arcuato, cylin-
 drico, antennae basi tenues.

Rhynchaenus carbonarius, *Ins. Sv.* 3. 185. 101.
exclusis *Synonymis Fabricii et Paykullii.*

Obs. In *Ins. Sv.* I. c. dudum autumavi, *Rh.*
atratum a carbonario sexu solum distinctum esse,
 quod etiam experientia dein confirmatum est. *Rhyn-*
chaenus semicylindricus, *Ins. Sv.* 3. 180. 96.
Mecinus pyrastrae *Schönh. Curc. a Dom. de Pay-*
 kull

kull ut femina ejus Curc. Cerasi inspectus, secundum ejus Musaeum; sed ejus Curculio carbonarius mihi plane ignotus, nec in Musaeo Paykulliano jam exstat.

10. *T. Rhina*, *Schönh.*

Rhynchaenus Rhina, *Ins. Sv. 3. 83. 77. excluso Synonymo et var. b, quae ad speciem sequentem pertinent.*

Magdalis Cerali, *Mus. Germ. Ins. Spec. I. p. 192. c.*

11. *T. barbicornis*: niger, sub-opacus, antennis ferrugineis, clava longissima nigro-fusca, thorace antice coarctato, supra planiusculo, foveolato, elytris nitidioribus sulcato punctatis, interstitiis convexis, subtilissime strigosis.

Rhina barbicornis, *Latr. Gen. Ins. 2. 264.*

Panus (sub-genus) barbicornis, *Schönh. Curc. disp. method. p. 52.*

Magdalis barbicornis, *Germ. Ins. Spec. I. p. 192. b.*

Rhynchaenus Rhina, *Ins. Sv. 3. 83. 77. var. b.*

Habitat in foliis Pruni, Padi, Sorbi, rarius.

Praecedenti, cujus varietatem olim credidi, similis; distinctus tamen, antennarum forma et colore, thorace lateribus minus dilatato, elytrorum interstitiis subtilius strigosis etc. Caput breve, latum, convexum, nigrum, confertim punctulatum; rostrum vix capite longius, crassum, punctatum, nigrum, apice paulo latius, depressum. Antennae capite cum thorace fere longiores ferrugineae, clava nigro-fusca, pubescente, longissima; articulus primus longus, clavatus, secundus brevior, crassus, cyathiformis; tertius angustus, subconicus; 4 — 7, brevissimi, coarctati, perfoliati; octavus multo latior, sed etiam brevissimus, perfoliatus; 9, 10, valde crassi, elongati, sub-cylindrici, primo

breviore; ultimus longitudine duorum praecedentium, basi illis adhuc crassior, apicem versus acuminatus; hi tres articuli, clavam nigro-fuscam, dense hirtam constituentes, simul sumtae flagello duplo longiores. Thorax latitudine baseos non longior, antice multo angustior, constrictus, margine elevato, in medio emarginato; lateribus multo minus quam in priori ampliatum, dein angustior, angulis posticis iterum prominulis; basi truncatus, supra parum convexus, inaequalis, foveolis tribus obsoletis impressus, duabus in medio dorsi, paribus, lunatis, tertia in medio baseos; in dorso antico linea elevata, laevis, abbreviata; totus niger, opacus, confertissime reticulato-punctatus. Scutellum parvum, triangulare, nigrum, sub-laeve. Elytra thoracis basi latiora, humeris clavatis, rotundatis, thorace quadruplo longiora, fere linearia, apice singulatim rotundata, supra convexa, nigra, sub-nitida, sat profunde sulcata, sulcis obsolete punctatis, interstitiis convexis, subtilissime strigosis seu coriaceis. Corpus subtus nigrum, opacum, tenue pubescens, confertim punctatum. Pedes mediocres nigri, femoribus parum incrassatis, muticis, tarsis piceis.

12. *T. tri-foveolatus*: niger, sub-opacus, clava ovata fusca, thorace antice coarctato, dorso parum convexo, tri-foveolato, elytris nitidioribus sulcato-punctatis, interstitiis convexis, subtilissime strigosis.

Dom. Schönherr in litteris.

Rhina bipunctata, *Dom. Megerle a Mühlfeldt in litteris.*

Habitat cum praecedente; in Kinnakulle Vestrogothiae, *Dom. Schönherr*; ad Höberg, aliisque locis Vestrogothiae; in foliis Sorbi praesertim invenit auctor.

Praecedenti simillimus et valde affinis, rostro paulo lon-

longiore, minus crasso, antennarumque clava brevi, ovata, fere unice distinctus; forsitan praecedentis femina? Caput paulo magis convexum et fortius punctatum, ceterum ut in priori; rostrum capite paulo longius, sub rectum, minus crassum, nigrum, nitidum, basi crebre punctatum, apice paulo latius, subtilius punctulatum. Antennae capite cum thorace paulo breviores, ferrugineae, clava ovato-acuminata fusca, pubescente, articulis reliquis fere ut in priori constructis. Thorax ut in praecedente formatus, supra paulo magis convexus, foveolis tribus impressis et lineola antica elevata, laevi, abbreviata, notatus, omnino ut in illo; color et punctura etiam eadem. Scutellum majusculum, nigrum, apice obtusum. Elytrorum forma, color, sulci et interstitia omnino ut in praecedenti, modo puncta in sulcis paulo majora, evidentiora. Corpus et pedes ut in priori.

13. *T. Pruni*, *Schönh.*

Magdalis Pruni, *Germ. Ins. Sp. I. 192. a.*

Rhynchaenus Pruni, *Ins. Sv. 3. 82. 16.*

RHYNCHAENUS. cont.

17. *R. Rhina* p. 83. vid. antea: *Thamnophilus Rhina* n. 10, et ejus var. b, ibid. *Thamnophilus barbicornis* n. 11.

18. *R. bi-nodulus* p. 84. Gen. *Bagous*, *Schönh. Curc. p. 289.*

19. *R. lutosus* p. 85. *dito.*

Obs. *Curculio Collignensis* *Herbstii*, huc non pertinet, testante Dom. Schüppel, qui alium, sequenti proximum, sub hoc nomine communicavit.

20. *R. lutulentus* p. 86. Genus *Bagous*, *Schönherr.*

Curculio Collignensis, *Herbst. Col. 7. 50. 608. Tab. 98. f. 7. c.*

Obs.

Obs. Descriptioni addendum: In illaesis individuís macula parva, rotunda, alba in elytrorum interstitio tertio a sutura paulo pone medium, et altera, magis obsoleta, posterius in callo interstitii quinti. Articulus penultimus tarsuum dilatatus, bilobus.

Var. c, antennarum scapo ferrugineo, apice nigro, tantum differt; caetera omnia conveniunt; hic ut *C. Collignensis* Herbstii verus, a Dom. Schüppel missus, quare etiam *C. tempestivus* Herbstii, heic citatus, deleatur.

20-21. *R. limosus*: niger, cinereo-squamosus, antennis inferne tibiisque ferrugineis, thorace brevi, variegato, elytris profunde sulcato-punctatis; tarsuum articulo penultimo angusto. Gen Bagous, *Schönh.* Habitat in littoribus argillosis lacuum, rarius; in Dalekarlia ad Hubby Kloster lectus.

Magnitudo et fere statura praecedentis. Caput breve, retractum, parum convexum, nigrum, squamulis cinereo-albidis, nitidis, omnino tectum; rostrum breve, crassum, parum arcuatum, nigrum, punctulatum, apice nitidum. Antennae vix rostro cum capite longiores rufo-piceae, scapo apice infuscato, clava brevi, ovata nigra. Thorax latitudine multo brevior, sub-quadrangulus, antice late emarginatus, intra apicem sat profunde constrictus, lobo anteriore adscendente; lateribus pone stricturam ampliatus, dein angustior, basi sub-bisinuatus, supra parum convexus, niger confertissime ruguloso-punctatus, dense squamosus, plagis duabus dorsalibus approximatis magis nudis. Scutellum triangulare, nigrum, sub-laeve. Elytra thorace multa latiora, humeris elevatis, rotundatis, posterius attenuata, thorace triplo longiora, supra convexa, sat profunde sulcata et in sulcis punctis majusculis, distantibus impressa, interstitiis angustis, elevatis, erosis, subtilissime coriaceis; nigra, squamulis cinereis obte-

obtecta. Corpus subtus nigrum, dense cinereo-squamosum. Pedes elongatis femoribus clavatis nigris, tibiis arcuatis ferrugineis, apice unico valido, incurvo armatis, tarsis tenuibus nigris, articulo penultimo praecedentibus non latiore.

20-21. R. Frit: niger, squamulis cinereis variegatus, antennis inferne tibiisque ferrugineis, thorace brevi, constricto, articulo penultimo angusto. Gen Bagns, *Schönh. Curculio Frit, Herbst. Col. 6. 256. 223. Tab. 78. f. 12.*

Habitat in littoribus argillosis lacuum, rarius.

Magnitudo et statura proxime praecedentium. Caput breve, retractum, nigrum, punctatum, cinereo-squamosum, canalicula frontali impressum; rostrum capite dimidio longius, crassum, arcuatum, nigrum punctatum, basi squamosum, apice glabrum. Antennae brevissimae, structura et colore ut in priori. Thorax latitudine brevior, antice sat profunde constrictus, lobo antico adscendente, lateribus pone stricturam ampliatus, dein angustior, basi vix sinuatus, supra parum convexus, confertissime ruguloso-punctatus, dorso nigro-fuscus, stria media angusta cinereo-squamosa, lateribus late cinereo-squamosus, lituris duabus obliquis, denudatis. Scutellum minutum, nigrum. Elytra antice thoracis basi multo latiora, humeris elevatis, rotundatis, versus apicem attenuata, thorace triplo longiora, supra in dorso parum convexa, posterius declivia, callo elevato ante apicem notata, regulariter striato-punctata, interstitiis planis, subtilissime coriaceis; nigra, squamulis cinereis, praesertim versus latera, variegata; in illaesis individuis punctum cinereo-albidum in interstitio tertio a sutura pone medium, et alterum in callo posteriore, ut in Rh. luttulento. Corpus subtus nigrum, punctatum, squamulis cinereis omnino tectum. Pedes longiusculi, femoribus sub-clavatis nigris, tibiis arcuatis, aut totis,
aut

aut apice tantum ferrugineis, tarsis tenuibus nigris, articulo penultimo angusto, simplici.

20 - 21. *R. lutulosus*: angustior, niger, squamulis cinereo-albidis variegatus, tibiis sub-arcuatis ferrugineis, thorace profunde constricto, antice elevato, elytrorum interstitiis alternis elevatioribus, tarsuum articulo penultimo angusto. Ad Genus *Bagous* *Schönh.* pertinet.

Habitat ad littora lacuum, in Westrogothia, rarius. *Dom. Schönherr* et auctor.

Praecedentibus plus duplo minor, praesertim angustior, et distinctus. Caput rotundatum, convexum, retractum, rugoso-punctatum, nigrum, squamulis cinereo-albicantibus omnino tectum, maculis duabus frontalibus ovatis, magis denudatis; rostrum vix capite dimidio longius, crassum, arcuatum, nigrum, subtilius punctulatum, fere totum supra cinereo-squamosum. Antennae rostro cum capite parum longiores, tenues, totae nigrae, clava majuscula, ovata. Thorax longitudine vix latior, longe intra apicem profunde constrictus, lobo antico lato, alte adscendente, lateribus pone stricturam fere rectis, basi obsolete bisinuatus, supra perparum convexus, confertim ruguloso-punctatus, dorso niger, linea media albo-squamosa, lateribus albo squamosus, utrinque maculis duabus denudatis. Scutellum minutum nigrum. Elytra thorace latiora, humeris rotundatis, et illo vix triplo longiora, apice attenuata, supra in dorso anteriore parum convexa, posterius declivia, regulariter punctato striata, sutura interstitiisque tertio et quinto elevatioribus, convexis, reliquis planis, omnibus subtilissime coriaceis; in interstitio tertio a sutura, paulo pone medium, macula oblonga cinereo-albida; in quarto et quinto lineae, utrinque abbreviatae; in sexto et septimo lineae ab humero exeuntes, posterius abbrevia-

viatae; ejusdem coloris, omnes simul plagam inaequalem formantes. Corpus subtus nigrum, punctatum, squamulis cinereis omnino tectum. Pedes mediocres, subtiliter squamulosi, femoribus sub-clavatis nigris, tibiis ferrugineis, brevioribus et minus arcuatis quam in prioribus, tarsis tenuibus nigris, articulo ultimo praecedentibus non latiore.

21. *R. Alismatis* p. 87. Gen. *Hydronomus*, *Schönh. Curc.* p. 231. n. 131.

Bagous productus var. *Dej. Cat.* p. 89. sed vere distinctus, notis in diagnosi et descriptione allatis.

22. *R. costatus* p. 89. Gen. *Gronops*, *Schönh. Curc.* p. 157. n. 81.

Obs. Nomen mutandum, nam certe est:

Curculio lunatus, *Fabr. S. El.* 2. 524. 100.
Herbst. Col. 6. 495. 523.

Curculio percussor, *Herbst. Col.* 6. 250. 215.
Tab. 78. f. 4.

Rhynchaerus rubricus, *Ahr. Nov. Act. Hall.*
2. 2. 16. 7. *Tab.* 1. f. 7. g. et p. 58. 8.

23. *R. Sisymbrii* p. 90. Gen. *Centorhynchus*, *Schönh. Curc.* p. 296.

24. *R. Equiseti* p. 91. Gen. *Erirhinus*,
Schönh. Curc. p. 229. subgen. *Grypidius* p. 231.

25. *R. atrirostris* p. 92. Gen. *Erirhinus*,
Schönh. Curc. p. 231.

26. *R. brunnirostris* p. 93. dito.

Curculio obliterated, *Herbst. Col.* 6. 273.
245. *Tab.* 81. f. 2.

26-27. R. *Fringilla*: ovatus, niger, antennis ferrugineis, rostro basi carinato, thorace transverso, rugoso punctato, nigris punctulatis, elytris subtiliter transversim rugulosis, punctato-striatis, griseo-fasciculatis. Gen. *Larinus*, *Schönh. Curc. p.* 219. n. 123.

Larinus Sturnus, *Germ. Ins. Sp. I.* 384. 528.

Rhinobatus Fringilla, *Dej. Cat. p.* 98.

Habitat in Finlandia et Bothnia orientali.

Dom. Wasastjerna et Com. Mannerheim.

Inter majores generis, Rh. abietis mediocri latitudine aequalis, sed brevior, variat tamen magnitudine. Caput parvum, breve, retractum, nigrum, obsoletius ruguloso-punctatum, fronte inter oculos foveola impressa; oculi oblongi brunnei, non prominuli; rostrum feminae longitudine capitis cum thorace, maris tertia parte brevius, in utroque crassum, punctulatum, parum arcuatum, anterius carinatum, nigrum, sub-nitidum. Antennae breves, crassiusculae, piceo-ferrugineae, clava cinereo-pubescente. Thorax brevis, transversus, antice angustior, coarctatus, lateribus sub-rotundatus, basi profunde bi-sinuatus, angulis lateralibus acuminatis; supra minus convexus, inaequalis, in medio baseos et apicis canaliculatus, niger, opacus, confertim et profunde rugoso-punctatus, rugis elevatis iterum subtilissime punctulatis; latera thoracis cinereo-pubescentia, saepius e polline florum flavescentia. Scutellum parvum, depressum, nigrum. Elytra ampla, antice thorace latiora et illo quadruplo longiora, humeris et apice rotundatis; supra valde convexa, ante apicem transversim depressa, nigra, obsoletius striato-punctata, punctis distantibus, interstitiis planis, subtiliter coriaceis vel transversim rugulosis; fasciculis pilorum grisescentium plus minusve adspersa, majore rotundato plerumque juxta scutellum

utrin-

utrinque. Corpus subtus nigrum, confertim punctulatum, griseo-pubescent, indumento plerumque tam supra quam subtus e polline florum flavescente vel virescente. Pedes validi, nigri, pubescentes, antici longiores et crassiores.

27. *R. Rumicis* p. 94. Gen. *Phytonomus*, *Schönh. Curc. p. 175. n. 94.* et huic Generi adnumerantur species jam sequentes, usque ad No. 46., *R. bipunctatus*.

28. *R. Pollux* p. 96.

29. *R. miles* p. 97.

Var. *b*, linea media thoracis obsoleta vel nulla, et hoc in utroque sexu.

Habitat cum priori frequens.

Var. *c*, pallidior, pedibus totis testaceis.

Habitat cum prioribus, rarius.

Squamulae corpus tam supra quam subtus tegentes, pallidae; linea media thoracis cupreo-micans. Pedes toti testacei.

Var.? *d*, elytrorum sutura postice lineisque tribus singuli elytri abbreviatis albis, nigro-maculatis, pedibus totis testaceis.

Habitat in Kinnakulle Vestrogothiae, semel captus.

Thorax niger, linea media angusta, albissima. Elytra brunneo-squamosa, sutura a medio ad apicem et interstitia, tertium, quintum et septimum alba, nigro-maculata. Pedes toti testacei.

30. *R. pedestris* p. 98.

31. *R. elongatus* p. 99.

32. *R. arundinis* p. 100.

33. *R.*

33. R. Viciae p. 101.

34. R. Plantaginis p. 103.

35. R. variabilis p. 104.

36. R. murinus p. 105.

37. R. fasciculosus p. 107.

Curculio Dauoi, Oliv. Ent. 5. 83. 124. 74.

T. 35. f. 542.

38. R. punctatus p. 108.

Curculio Philanthus, Oliv. Ent. 5. 83. 123.

72. Pl. 35. f. 541.

39. R. Polygoni p. 109.

40. R. Trifolii p. 111. *Hypera Meles*,

Germ. Mag. 4. 340. 9. var. c, d, *Hypera pallida*, *Dej. Cat.* p. 88.

Var. e, thorace elytrisq. pube cinerea unicolore adpersis, absque lineis albidioribus.

Habitat cum prioribus.

Corpus nigrum ut in a, antennis tibiisque ferrugineis, sed pubescentia cinerea thoracis et elytrorum rarior, unicolor, absque signaturis; tibiae posteriores interdum nigrae.

41. R. posticus p. 113. *Hypera postica*,
Germ. Mag. 4. 340. 10.

42. R. nigri-rostris p. 114. *Hypera nigrirostris*, *Germ. Mag.* 4. 338. 5.

43. R. borealis p. 115. *Hypera borealis*, *Germ. Mag.* 4. 339. 7.

Obs. Typum hujus Insecti e Musaeo Paykulliano, jam accuratius lustravi, et eundem omnino cum sequenti, R. dissimili, invenio, quare e numero specierum delendus est.

44. *R. dissimilis* p. 116. *Hypera dissimilis*, *Germ. Mag.* 4. 540.

45. *R. Scanicus* p. 118. *Hypera Scanica*, *Germ. Mag.* 4. 338. 3. 8.

46. *R. bi-punctatus* p. 119. *Hypera bi-punctata*, *Germ. Mag.* 4. 338. 4.

Var. *b*, tibiis etiam nigris vel nigro-piceis.

Habitat cum *a*, passim.

47. *R. Carpini* p. 120. Genus *Tychius*, *Schönh. Curc. p.* 245. n. 142.

48. *R. picirostris* p. 121. Gen. *Tychius*, *Schönherr*.

Obs. Corpus supra pube densa, depressa, aut cinereo-albida aut flavescente obductum; subtus squamulis niveis omnino tectum; femora antica interdum, rarius omnia infuscata. Rostris apex semper late ferrugineus. Var. *b*, observante oculatissimo Dom. Schönherr, essentialiter differt, funiculo antennarum sex-articulato tantum, quare non specie solum distinxit, sed etiam ut sub-genus, *Miccotrogus*, proposuit; sub nomine Marshami ideo assumendus.

48-49. *R. cinerascens*: angustior, niger, convexus, supra parcius cinereo-pubescent, antennarum basi, tibiis tarsisque ferrugineis, rostri apice vix rufescente, antennarum funiculo sex-articulato.

Curculio cinerascens, *Marsh. Fnt. Br.* 1. 248. 28.

Rhynchaenus picirostris var. *b.* *Ins. Sp.* 3. 121. 48.

Var. *b*, thoracis linea media longitudinali elytrorumque sutura densius albido-villosis.

Habitat *a*, cum praecedente, non infrequens;

quens; var. *b*, in Scania prope Londinum.
Dom. Fries.

Praecedente plerumque dimidio minor, praesertim angustior, caeterum excepto colore rostri, clavae antennarum et femorum, omnino similis et nimis affinis. Caput rotundatum, nigrum, pubescens, punctulatum; rostrum longitudine fere capitis cum thorace, arcuatum, basi crassum punctulatum, apicem versus attenuatum, laeve, nigrum, vix apice ipso rufescente. Antennae crassiusculae, articulis primis rufo-testaceis, reliquis, cum clava nigro-fuscis, pubescentibus. Thoracis structura et punctura ut in praecedenti, sed minus dense pubescens. Elytrorum forma eadem, tota nigra, sat profunde punctato-striata, interstitiis pube depressa cinereo-albida, minus densa, striatim adspersis. Corpus subtus nigrum, punctulatum, squamulis niveis tectum. Pedes crassiusculi, pubescentes, femoribus nigris, tibiis tarsisque ferrugineis.

Var. *b*, secundum diagnosin tantum differt.

49. *R. Beccabungae* p. 122. Gen. *Gymnaetron*, *Schönh. Curc. p.* 319.

Cionus Veronicae, *Germ. Mag.* 4. 305. 11.

Var. *b*, *Cionus Beccabungae*, *Germ. Mag.* 4. 305. 11.

Obs. Vix specie distincta; promiscue cohabitant; magnitudo et color diversimode variant; puncta striarum in elytris plus minusve perspicua, ratione pubescentiae rarioris vel densioris.

50. *R. pascuorum* p. 124. Gen. *Gymnaetron*, *Schönh.*

Cionus pascuorum, *Germ. Mag.* 4. 206. 13.

Cleopus nanus, *Dej. Cat. p.* 83.

Obs. Femora, praesertim antica, plerumque dentata.

51. *R. tricolor* p. 126. Gen. *Gymnaetron*, *Schönherr.*

Cionus labilis, *Germ. Mag.* 4. 306. 14.

Curculio labilis, *Herbst. Col.* 6. 244. 208.

Tab. 77. *f.* 12.

52. *R. Lythri* p. 127. Genus *Nanodes*,
Schönh. Curc. p. 322.

Cionus Lythri, *Germ. Mag.* 4. 314. 52.

52 - 53. *R. globulus*: niger, nitidus, sub-
pubescens, antennarum femorumque basi
tibiisque rufo-testaceis, elytrorum disco
indeterminate testaceo, nigro-punctato.

Cionus globulus, *Germ. Mag.* 4. 315. 33.

Nanodes globulus, *Schönh. Curc.* p. 323.

Habitat in Vestrogothia, ad Höberg, in gra-
minosis aliquoties excipulo captus.

Affinis *R. Lythri*, sed minor, in elytris brevior,
magis convexus. Caput nigrum, punctulatum, pube-
scens, oculis depressis brunneis; rostrum longitudine
capitis cum thorace, crassiusculum, parum arcuatum,
basi coarctatum, totum nigrum, striatum, pubescens.
Antennae capite cum rostro longiores, scapo articulis-
que primis flagelli testaceis, clava magna, elongata,
nigra. Thorax brevis, conicus, antrorsum valde an-
gustatus, basi sub-truncatus, supra modice convexus,
punctulatus, niger, nitidus, cinereo-pubescens. Scu-
tellum minutum, immersum. Elytra antice thoracis
basi parum latiora, humeris sub-elevatis, thorace tri-
plo longiora, apice rotundata, supra valde convexa,
profunde striato-punctata, tenue pubescentia, maxima
parte testacea, basi, introrsum latius, margineque la-
terali nigris; praeterea puncta aliquot sparsa nigra in
disco et sutura. Corpus subtus nigrum, punctulatum,
parum pubescens. Pedes elongati, validi, femoribus
crassiusculis nigris, basi et subtus, ut et tibiis totis
rufo-testaceis; tarsi fusco ferruginei.

53. R. Ptinoides p. 128. Gen. Tyloides,
sub-gen. Acalles, *Schönh. Curc.* p. 295.
54. R. Lemnae p. 129. Gen. Tanysphyrus,
Schönh. Curc. p. 168.
55. R. Campanulae p. 130. Gen. Gymnae-
tron, *Schönh. Curc.* p. 319.
Cionus Campanulae, *Germ. Mag.* 4. 308. 20.
Curculio ellipticus, *Herbst. Col.* 6. 171. 131.
Tab. 71. f. 13.
56. R. viscaria p. 132. Gen. Sibynes,
Schönh. Curc. p. 247.
57. R. signatus p. 133. *dito.*
Curculio primitus, *Herbst. Col.* 6. 104. 64.
Tab. 66. f. 8.
Etiam in Westrogothia jam pluries lectus.
58. R. globosus p. 134. Gen. Orobitis,
Schönh. Curc. p. 314.
59. R. scortillum p. 135. Gen. Amalus,
Schönh. Curc. p. 240.
Var. *b*, elytris anterieus brunneo-rufis, apice
dilutioribus.
Habitat cum *a*, passim. *Dom. Schönherr*
et auctor.
60. R. rubicundus p. 136. Genus Ceutorhynchus,
Schönh. Curc. p. 296, et
huic Generi etiam sequentes species ad-
numerantur, usque ad No. 72. Rh. Epi-
lobii, inclusive.
61. R. Quercus p. 138.

62. *R. Geranii* p. 140.

63. *R. assimilis* p. 141.

Obs. Species duae, sub hac denominatione confusae, quae distinguendae, quapropter etiam diagnosis mutanda:

R. assimilis: plumbeo-niger, parcius pubescens, thorace canaliculato, evidentius bi-tuberculato, antice reflexo, elytris longioribus, apice vix muricatis, rostro longissimo, tenui.

Falciger alauda, *Dej. Cat. p. 84. ab ipso Comite sub hoc nomine communicatus.*

Ceutorhynchus assimilis, *Germ. Ins. Sp. I. 220. 20.*

Habitat in plantis *Tetradynamis* frequens.

63-64. *R. Syrites*: saturate niger, densius pubescens, pedibus sub-piceis, thorace canaliculato, obsoletius bi-tuberculato, antice reflexo, elytris brevioribus, apice muricatis, rostro longissimo, tenui.

Ceutorhynchus Syrites, *Germ. Ins. Sp. I. 232. 358.*

Falciger assimilis, *Dej. Cat. p. 84. ab ipso ita designatus.*

Habitat cum praecedente, minus tamen frequens.

Praecedenti quidem valde similis et affinis, sed tamen notis indicatis distinctus. Caput, rostrum et antennae ut in priori, modo color saturatius niger et pubescentia cinerea longior. Thorax quoad structuram ut in praecedenti, sed saturatius niger, paulo profundius punctatus, tubercula lateralia obsoletiora et pubescentia longior; margo anticus etiam plerumque alius elevatus, reflexus. Elytra antice thoracis basi

multo latiora, humeris elevatis, rotundatis, pone basin ampliata, apice singulatim rotundata, thorace vix plus quam duplo longiora, supra modice convexa, profunde crenato-striata, interstitiis evidenter rugulosis, versus apicem tuberculis crebris muricatis; saturate nigra, pilis rigidis albidis depressis adspersa. Pygidium sub-orbiculatum, albido-pilosum. Corpus subtus nigrum, dense albo-squamosum. Pedes validi, nigri, pubescentes, interdum picei, praesertim anteriores.

64. R. Erysimi p. 142.

65. R. contractus p. 143.

Obs. In illaesis individuis elytra posterius pilis parvis, raris, depressis, cinereis adspersa. Cent. hirtulus Germarii, huic simillimus, sed paulo major, densius hirtus et femora posteriora sub-dentata, quare in sectione sequenti quaerendus.

66. R. Cochleariae p. 144.

66-67. R. pumilio: fusco-piceus, albido-sub-pilosus, rostro brunneo, pedibus testaceis, thorace transversim convexo, elytris sub-globosis, profunde punctato-striatis, humeris prominulis.

Var. *b*, femoribus medio infusatis.

Var. *c*, supra dilutius fusco-testaceus, rostro rufescente, pedibus pallidis.

Habitat in aridis, arenosis, ad Esperöd Scaniae. *Dom. Prof. Fallén et Zetterstedt.*

Medius quasi inter R. Cochleariae et floralem, sed duplo minor. Caput oblongum, nigricans, crebre et profunde punctatum, pilis minutis, rigidis, depressis, albidis, nitidis adpersum; oculi sub-globosi, brunnei; rostrum longitudine dimidii corporis, tenue, valde arcuatum, rufo brunneum, nitidum, subtilissime striatum. Antennae rostro longiores, tenues, nigrae,

nigrae, basi piceae, clava majuscula, acuminata, pubescente. Thorax brevissimus, transversus, antice multo angustior, profunde constrictus, margine alte elevato, reflexo; basi profunde bi-sinuatus, declivus, supra in medio transversim valde convexus, tuberculo obsoleto utrinque notatus, vix canaliculatus, modo in medio baseos foveola oblonga impressus; totus fusco-piceus, confertim punctulatus, pilis similibus, uti caput adspersus. Scutellum vix observandum. Elytra thoracis basi multo latiora, humeris prominulis, et latitudine baseos parum longiora, apice rotundata, supra valde convexa, sub-globosa, fusco-picea, profunde punctato-striata, interstitiis angustis, sub-rugosis; pilis similibus uti caput et thorax adspersa. Corpus subtus fusco-piceum, confertim punctatum, albido pilosum.

Pedes validi, testacei, femoribus clavatis.

Var. b, differt tantum femoribus in medio magis fuscis.

Var. c, dilutius fusco-testacea, rostro rufescente, pedibus totis pallidis; forte immatura.

67. *R. floralis* p. 145.

68. *R. depressicollis* p. 147.

69. *R. Ericae* p. 147.

Falciger rufirostris, *Dej. Cat.* p. 84.

70. *R. Querceti* p. 149.

Obs. In gramine pratorum humentium, tempore vernali pluries excipulo captus.

70-71. *R. apicalis*: niger, cinereo-pubescent, elytrorum sutura basi albo-squamosa, margine apicali, tibiis tarsisque rufo-testaceis, thorace obsoletius bi-tuberculato.

Habitat in Scania. *Dom. Prof. Zetterstedt.*

Magnitudo, statura et summa affinitas *Rh. Querceti*, sed tubercula thoracis minora, obsoletiora, femora tota nigra et apex elytrorum anguste tantum rufo-testaceus. Caput, oculi, rostrum et antennae ut

in priori. Thorax brevis, transversus, antice profunde constrictus, margine altius elevato quam in priori, et disco concolore, nec rufescente, ut in illo; posterius transversim valde convexus, tuberculis lateralibus parvis, obsoletis; totus niger, profunde punctatus, pubescens, subtus, non vero lateribus albedo-squamosus. Elytra antice thorace multo latiora, tuberculo humerali elevato, thorace fere triplo longiora, apice singulatim obtuse rotundata, supra valde convexa, nigra, cinereo-pubescentia, sat profunde crenato-striata, interstitiis transversim rugulosis; margo ipse apicis anguste rufo-testaceus. Corpus subtus nigrum, profunde punctatum, pectore densius, ventre parcius albedo-squamosis. Pedes elongati, validi, pubescentes, femoribus punctatis nigris, summo apice ferrugineis, tibiis tarsisque rufo-testaceis.

70-71. *R. atratulus*: ovatus ater, subtus dense albo-squamosus, tarsis rufo-piceis, thorace constricto, canaliculato, obtuse bituberculato, elytris profunde striato-punctatis, sutura basi albo-squamosa.

Habitat in plantis et fruticibus, rarius.

Statura praecedentium, sed paulo major, *R. Erysimi* aequalis. Caput convexum, atrum, opacum, confertissime punctatum, oculis brunneis; rostrum longitudine capitis cum thorace, valde arcuatum, tenue, atrum, basi punctatum. Antennae longiusculae, tennes, nigrae, flagello piceo, clava apice cinereo-pubescente. Thorax brevis, antice angustior, minus profunde constrictus, margine supra caput elevato; basi bi-sinuatus, supra posterius transversim convexus, utrinque tuberculo obtuso armatus, in medio evidenter canaliculatus, profunde sed non crebre punctatus, totus ater, canali lateribusque ultra tuberculum albedo-squamosis. Elytra thoracis basi latiora, humeris rotundatis, thorace triplo longiora, apice singulatim rotundata, supra valde convexa, aequalia, atra, sub-nitida,

tida, tenue-pubescentia, profunde striato-punctata, interstitiis parum rugulosis. Suturae basis distincte albo-squamosa. Corpus subtus nigrum, confertim punctatum, squamulis densis albidis tectum. Pedes elongati, nigri, opaci, confertim punctati, pubescentes, tarsis rufo-piceis.

71. *R. sub-rufus* p. 149.

72. *R. Epilobii* p. 151.

73. *R. Myriophylli* p. 152. Gen. *Hydaticus*, *Schönh. Curc. p. 242.*

Var. *b*, duplo minor, capite thoraceque nigris, opacis, linea scutellari corporeque subtus cinereo-squamosis, rostro paulo brevior; forte mas.

Habitat in Smolandia. *Dom. Boheman. Mus. Dom. Schönherr.*

Rostrum paulo brevius et crassius quam in *a*; capitis et thoracis color obscurior, niger, opacus; squamulae paginae inferioris, laterum thoracis elytrorumque ut et lineolae suturales pone scutellum, non albidae sed obscurius cinereae; caetera exacte conveniunt.

74. *R. 4-tuberculatus* p. 153. Gen. *Ceutorhynchus*, *Stirps 2. Schönh. Curc. p. 299.*

75. *R. 4-cornis* p. 154. *dito.*

75-76. *R. velaris*: niger, subtus et lateribus dense albido-squamosus, supra squamulis virescenti-aureis tectus, thorace depresso, acute quadri-tuberculato, pedibus testaceis, tarsis nigris.

Hydaticus velaris, *Dom. Schönherr, in litteris.*

Habitat ad littora lacuum et fluviorum; in

Dalekarlia ad Husby Kloster rarius lectus.

Mag-

Magnitudo, statura et summa similitudo R. 4-tuberculati. Caput porrectum, planum, subtilissime punctulatum, squamulis cupreo-aeneis, sub-nitidis, omnino tectum; oculi laterales prominuli, brunnei; rostrum vix capite longius, crassum, supra latum, planum, totum squamulis similibus uti caput omnino tectum. Antennae rostro cum capite paulo longiores, piceae, clava majuscula, ovata acuminata. Thorax latitudine baseos paulo brevior, anterieus multo angustior, truncatus, basi profunde bi-sinuatus, lobo medio rotundato; supra in disco planus, leviter canaliculatus, squamulis virescenti-vel cupreo-aureis omnino tectus, lateribus et subtus dense albo-squamosus; in dorso tuberculis quatuor validis, acuminatis, armatus, duobus nempe in margine ipso antico, remotis, lateraliter inclinatis, posterioribus pone medium, magis adhuc distantibus, rectis. Elytrorum forma omnino ut in R. 4-tuberculato, supra convexa, punctato-striata, squamulis virescenti-aureis tecta, immixtis lituris sparsis e squamulis cinereo-albidis. Corpus subtus dense albo-squamosum. Pedes elongati, tennes, pallide testacei, femoribus plerumque versus apicem infuscatis, et pube albida variegatis, tarsis nigris, articulo penultimo lato, bilobo, subtus albido-spongioso.

75-76. R. notula: brevis, niger, subtus et lateribus dense albido squamosus, supra fere nudus, thorace brevi, 4-tuberculato, elytris maculis sparsis albido-squamosis, pedibus testaceis, femoribus, medio infuscatis. Genus Hydaticus, Schönh.

Ceutorhynchus notula, Germ. Ins. Sp. I. 240. 370.

Habitat in Scania. Dom. Prof. Zetterstedt.

Parvus, R. h. Comari minor, alias praecedentibus similis. Caput sub-deflexum, nigrum, parum convexum, confertissime punctulatum, oculis lateralibus, pro-

prominulis, brunneis; rostrum capite multo longius, crassum, sub-arcuatum, nigrum, convexum, confertim punctulatum, ore pallido. Antennae longitudine rostri cum capite, piceae, clava ovata nigra. Thorax latitudine baseos multo brevior, anterieus angustatus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, inaequalis, sat profunde canaliculatus, confertim punctatus, dorso niger, lateribus canalicula dorsali et subtus dense albedo-squamulosus; tuberculis quatuor validis, acutis, eodem ordine ac in prioribus locatis, armatus. Elytra ampla, antice thoracis basi fere dimidio latiora, humeris sub-rectangulis, thorace fere triplo longiora, apice singulatim rotundata, supra parum convexa, profunde striato-punctata, interstitiis planis, subtilissime punctulatis; nigra, maculis nonnullis sparsis in medio et posterius e squamulis cinereo-albidis. Corpus subtus nigrum, confertim punctatum, squamulis cinereo-albidis adpersum. Pedes longiusculi testacei, femoribus ante apicem infuscatis, tarsis obscuris, articulo penultimo lato, bilobo.

76. R. 4-nodosus p. 175. Gen. Hydaticus, *Schönh. Curc. p. 242.*

Ceutorhynchus mucronulatus, *Germ. Ins. Sp. I.*
259. 369.

77. R. Comari p. 156. Gen. Hydaticus, *Schönherr.*

78. R. pericarpus p. 157. Gen. Ceutorhynchus, *Stirps 2. Schönh. Curc. p. 279.*

79. R. inconspicuous p. 158. *dito.*

80. R. Castor p. 159. *dito.*

81. R. leucogaster p. 161. *dito.*

Obs. C. leucogaster Marsh. l. c. ad Gen. Hydaticus Schönh. pertinet; Synonymon ideo delendum et nomen mutandum, R. asperatus dicendus.

82. *R. fusco-maculatus* p. 162. Genus
Molytes, *Schönh. Curc. p. 172.*
83. *R. Germanus* p. 163. *dito.*
Curculio coronatus, *Latr. Gen. Ins. 2. 263. 1.*
84. *R. Colon* p. 164. Gen. *Lepyrus*, *Schönh.*
Curc. p. 167.
85. *R. bi-notatus* p. 165. *dito.*
86. *R. Abietis* p. 166. Gen. *Hylobius*,
Schönh. Curc. p. 170.
87. *R. Pinastri* p. 168. *dito.*
88. *R. Lapathi* p. 169. Gen. *Cryptorhynchus*,
Schönh. Curc. p. 280.
89. *R. vorax* p. 170. Gen. *Erirhinus*,
Schönh. Curc. p. 229. et huc pertinent jam
sequentes species, usque ad No. 95. *R. h.*
pectoralis, inclus.
90. *R. Tremulae* p. 171.
91. *R. Tortrix* p. 173.
92. *R. affinis* p. 174.
Dorytomus flavipes, *Dej. Cat. p. 86. ab ipso*
designatus.
Var. c, nigrior, femoribus etiam infuscatis.
Habitat cum prioribus, rarius.
Colore obscuriore tantum distinctus.
93. *R. taeniatus* p. 175.
Obs. Thorax vix carinatus, ut in priori.
Var. c, excludatur, et ut propria species consi-
derari posset, sub nomine:
- 93-94. *R. Salicinus*: angustior, nigro-
piceus, variegatus, pedibus totis testaceis,
tho-

thorace longiore, lateribus aequaliter rotundato, subtus cum pectore dense albido-pubescent.

Rhynchaenustaeniatus var. *c.*, *Ins. Sv.* 3. 175. 93.

Curculio affinis var. *pygmaea*. *Payk. Fn.* 3. 191. 8.

Habitat in Salicibus Bothniae et Lapponiae.

Dom. Host in Finlandia, *Dom. Prof. Sahlberg. Mus. Dom. Schönherr* et nostrum.

Praecedente longe minor, angustior; thorax longior, in medio, non ante medium, aequaliter rotundato-amplius; caetera ut in descriptione loc. cit. p. 177, data, quae ideo consulenda.

Obs. *Dom. Prof. Zetterstedt* ante plures annos Insectum communicavit, quod tunc *R. taeniati* varietatem credidi, cui pedes picei, genibus, tibiis apice tarsisque testaceis; sed cum jam ad manus non sit, de identitate specifica dijudicare nequeo.

94. *R. majalis* p. 177.

95. *R. pectoralis* p. 178.

96. *R. semi-cylindricus* p. 180. *Gen.*

Mecinus, *Schönh. Curc.* p. 321.

Mecinus pyraster, *Germ. Mag.* 4. 317. 1.

Curculio pyraster, *Herbst. Col.* 6. 252. 217.

Tab. 78. f. 6.

Curculio haemorrhoidalis, *ibid.* p. 266. 235.

Tab. 80. f. 4.

Curculio Cerasi, *femina*. *Payk. Fn.* 3. 193. 10.

97. *R. violaceus* p. 181. et sequentes usque ad No. 102. *R. atratus*: *Gen. Thamnophilus*, *Schönh. Curc.* p. 51. vid. antea hoc genus sub *Rh. Pruni* No. 16. propositum.

103. R. Pomorum p. 188. Gen. Anthonomus, *Schönh. Curc. p.* 236.

Anthonomus Pomorum, *Germ. Mag.* 4. 323. 3.

Var. *b*, secundum sententiam *Dom. Germari*, ut species diversa considerari posset, nempe:

103-104. R. incurvus: fusco-piceus, cinereo-pubescent, elytris nigro-fuscis, humeris margineque ferrugineis, fascia postica obliqua, obsoleta, albida, pube flavesciente obducta, scutello niveo.

Curculio incurvus, *Panz. Fn.* 36. f. 17.

Crit. Rev. 1. 129.

Anthonomus incurvus, *Germ. Mag.* 4. 323. 4.

Rhynchaenus Pomorum, var. *b*. *Ins. Sv.* 3. 188. 103.

Habitat in foliis Pruni Padi, ad Alingsähs Vestrogothiae et alibi, passim copiose.

Statura et formatio partium ut in praecedenti omnino, sed triplo minor, color obscurior, fascia elytrorum obsoletior, habitatio alia. Caput et rostrum nigra; antennae ferrugineae, clava fusca, cinereo-pubescente. Thorax niger, margine antico elevato ferrugineo, lateribus et linea media longitudinali albido-pubescent. Scutellum elevatum, niveo-pubescent. Elytra nigra, humeris et lateribus ferrugineis; pone medium fascia obliqua, sub-duplicata, albido-pubescent, immixtis fasciculis flavescens; haec tamen saepe obsoleta. Corpus subtile piceum. Femora piceo ferruginea, tibiis tarsisque dilutioribus.

104. R. Ulmi p. 189. Gen. Anthonomus, *Schönherr*.

Anthonomus pedicularius, *Germ. Mag.* 4. 322. 1.

Antho-

Anthonomus clavatus, Dej. Cat. p. 87. ab ipso designatus.

Var. *b*, *c*, *Anthonomus Pomonae*, Germ. l. c. No. 2.

Var. *d*, capite thoraceque obscure, rostro dilutius ferrugineis, elytris nigris, pube albida variegatis, apice ferrugineis; femoribus rufo - piceis, tibiis tarsisque dilutioribus.

Habitat in Westrogothia. *Mus. Dom. Schönk.*

Obs. Magnitudo, color et signaturae hujus speciei valde dissimiles et variabiles, vix vero ad specificas distinctiones satis constantes et sufficientes.

105. *R. druparum* p. 191. Gen. *Anthonomus*, *Schönh.*

106. *R. pubescens* p. 192. *dito.*

Anthonomus pubescens, Germ. Mag. 4. 125. 9.

106 - 107. *R. melanocephalus*: niger, parce cinereo-pubescens, thorace elytris pedibusque rufis, scutello albo, femoribus acutius dentatis, tarsis nigricantibus.

Fabr. S. El. 2. 490. 245.

Anthonomus melanocephalus, Germ. Mag. 4. 125. 10.

Curculio melanocephalus, Panz. Fn. 18. f. 12.

Curculio phyllocola, Herbst. Col. 6. 161. 118. Tab. 70. f. 14.

Var. *b*, elytrorum margine laterali nigricante.

Var. *c*, ut var. *b*, et praeterea femora posteriora superne versus apicem et tibiae posticae, nigrae.

Habi-

Habitat in frondibus Pini sylvestris, in Westrogothia pluries lectus; var. b, et c, rarius occurrunt

Praecedenti dimidio minor, color rostri et tarsuum alius etc.; sequenti magis affinis, et forte modo varietas speciei polymorphae. Caput nigrum, crebre punctatum, pubescens, posterius convexum, fronte inter oculos foveola profunda impressa; oculi semiglobosi, nigro-brunnei; rostrum longitudine dimidii corporis, tenue filiforme, modice arcuatum, nigrum, nitidum, laeve, basi punctatum et pubescens. Antennae longae, valde tenues, testaceae, clava oblonga nigricante. Thorax antice multo angustior, leviter constructus, lateribus nonnihil rotundato-amplius, basi bi-sinuatus, supra posterius transversim convexus, crebre et profunde punctatus, pilis longioribus depressis cinereis adpersus, rufo-testaceus, margine antico interdum infuscato. Scutellum orbiculatum, niveo-pubescens. Elytra antice thorace parum latiora, humeris elevatis, rotundatis, thorace quadruplo longiora, apice rotundata, supra valde convexa, praesertim posterius; profunde sulcato-punctata, interstitiis sub-convexis, subtilissime punctulatis; tota rufo-testacea, nitida, parce et tenue pubescentia. Corpus subtus nigrum, confertim punctulatum, anterieus dense pallido-pubescens, ventre magis glabro. Pedes validi rufi, tarsis piceis, femoribus crassis, clavatis, anticis dente valido, posterioribus dente minore armatis.

Var. b, differt tantum margine laterali elytrorum anguste nigricante.

In var. c, margo elytrorum lateralis etiam anguste niger, et praeterea femora quatuor posteriora a medio ad apicem superne nigra; tibiae ultimi paris etiam ejusdem coloris; haec varietas transitum ad speciem sequentem parare videtur.

107. R. varians p. 193. Gen. Anthonomus, Schönh.

Antho-

Anthonomus varians, Germ. Mag. 4. 324. 6.

108. R. Rubi p. 194. Gen. Anthonomus,
Schönherr.

109. R. dorsalis p. 196. Gen. Erirhinus,
Schönh. Curc. p. 229.

Obs. Segmentum ultimum ventrale maris in medio impressum, utrinque denticulo armatum.

110. R. 5 - punctatus p. 197. Gen. Ty-chius, *Schönh. Curc. p. 245.*

111. R. venustus p. 199. *dito.*

112. R. squamifer p. 200.

Trachodes hispidus, *Schönh. Curc. p. 260. et certe.*
Curculio hispidus, Linn. Fn. Sv. 619. Syst. nat.
2. 614. 65. ideoque nomen mutandum.

113. R. nucum p. 201. Gen. Balaninus,
Schönh. Curc. p. 258.

Balaninus nucum, Germ. Mag. 4. 294. 3.

114. R. villosus p. 203. Gen. Balaninus,
Schönherr.

Balaninus villosus, Germ. Mag. 4. 295. 6.

Obs. In foliis Quercus, Mense Majo, in Westrogothia jam pluries lectus.

115. R. Cerasorum p. 204. Balaninus,
Schönherr.

Balaninus Cerasorum, Germ. Mag. 4. 295. 5.

116. R. Salicivorus p. 206. Balaninus,
Schönh.

Balaninus Brassicae, Germ. Mag. 4. 296. 8.

Var. *b*, a recentioribus ut species distincta consideratur, nempe:

116-117. R. Pyrrhoceras: niger, supra
cine-

cinereo-sub-pubescent, scutello corpore-
que subtus albido-squamosis, antennis te-
staceis, clava fuscescente.

Mas: rostri apice rufo.

Balaninus Pyrrhoceras, *Germ. Mag.* 4. 296. 9.
Schönh. Curc. p. 240.

Curculio Pyrrhoceras, *Marsh. Ent. Br.* 1.
188. 149.

Rhynchaenus Salicivorus var. b, *Ins. Sv.* 3.
206. 116.

Habitat cum praecedente, minus frequens.

Minimis praecedentis individuis plerumque adhuc minor, antennarum scapo et funiculo testaceis, clava solum plus minusve infusata et rostro maris apice rufo, unice distinctus; caetera omnia quoad minimum punctum conveniunt, quare ulterior descriptio superflua. Dubium mihi videtur, an specie distinctus.

117. *R. Antirrhini* p. 207. *Gen. Gymnae-*
tron, *Stirps* 3. *Schönh. Curc. p.* 320.

Obs. *Curculio ellipticus*, *Herbst. l. c.* huc non pertinet, monente *Dom. Schüppel*, sed ad *R. Campanulae* No. 55. antea; loco ejus inseratur: *Curculio noctis*, *Herbst. Col.* 6. 269. 240. *Tab.* 80. f. 9.

Obs. Variat magnitudine et colore pubescentiae aut cinereo aut albicante; femora jam evidentius, jam obsoletius dentata. Striae elytrorum vario situ inspectae, jam subtilius, jam profundius punctatae apparent. Cionus *Antirrhini*, *Germ. Mag.* 4. 312. 28. et *C. Noctis*, *ibid.* 314. 29. vix specie distinctae mihi videntur; *C. Antirrhini*, *Payk. l. c.* certe idem cum nostro.

118. *C. Linariae*, *Germ. Mag.* 4. 314. 30.
Synonymon *Herbstii* excludendum.

119. *R. collinus* p. 209. Gen. *Gymnaetron*, *Schönh.*

120. *R. graminis* p. 210. *dito.*

Cionus graminis, *Germ. Mag.* 4. 308. 19.

121. *R. Scrophulariae* p. 212. Gen. *Cionus*, *Schönh. Curc.* p. 318., et ad hoc genus etiam pertinent jam sequentes species usque ad No. 125. *Rh. Fraxini* inclusive.

Var. c, auctorum consensu, ut species distincta considerata:

121-122. *R. Verbasci*: niger, thoracis lateribus pectoreque flavescenti-pilosis, elytris interstitiis alternis elevationibus atro-alboque tessellatis, maculis duabus suturalibus atro-holosericeis.

Cionus Verbasci, *Germ. Mag.* 4. 302. 2.

Rhynchaenus Scrophulariae var. c, *Ins. Sv.* 3.

212. 121. cum allatis *Synonymis.*

Habitat cum praecedente passim.

Differentiae in *Ins. Sv.* loc. cit. indicatae; antennarum clava semper longior.

122. *R. Thapsus* p. 214.

Cionus Thapsi, *Germ. Mag.* 4. 305. 4.

123. *R. Hortulanus* p. 215.

Obs. Rostro multo tenuiore praecipue distinctus.

124. *R. Solani* p. 216.

Cionus pulchellus, *Germ. Mag.* 4. 304. 8.

Obs. Asseverante Dom. Germar loc. cit. *Rhynchaenus Solani* Fabricii alius et distinctus, quare *Synonymon* excludendum et nomen Herbstii nostro adijciendum.

125. R. Fraxini p. 217.

Cionus Fraxini, Germ. Mag. 4. 304. 7.

126. R. trimaculatus p. 219. Gen. Ceutorhynchus, Schönh. Curc. p. 296., et huic generi adnumerantur species jam sequentes, usque ad No. 158., R. globulus, inclusive.

Obs. Verus R. trimaculatus Fabricii. sec. Illig. a Dom. Schüppel missus, alius est, quare Synonymon excludendum; hic apud nos non inventus, quantum mihi innotuit. Dom. Prof. Germar, in Ins. Sp. I. p. 220. 6. hunc nostrum Rh. 4-maculatum, Fabricii et Linnaei esse contendit; vix vero jure; nam ille ab auctoribus nominatis in Sectione: „Femoribus muticis locatus, noster vero femora gaudet valide dentata. C. crucifer, Oliv. Ent. 5. 83. 210. 200. idem ac noster videtur, ideoque hoc nomen nostro imponendum.

127. R. viduatus p. 220.

Ceutorhynchus viduatus, Germ. Ins. Sp. I. 220. 11.

128. R. asperifoliarum p. 221.

Ceutorhynchus intersectus, Germ. Ins. Sp. I. 227. 351. certe.

129. R. litura p. 222.

Ceutorhynchus litura, Germ. Ins. Sp. I. 220. 8.

129-130. R. guttula: niger, opacus, subdepressus, subtus albido-squamosus, thorace canaliculato, bi-tuberculato, elytris macula suturali baseos holosericeo-atra, apicis oblonga albo-squamosa.

Fabr. Syst. Eleut. 2. 482. 205. Oliv. Ent. 5. 83. 213. 204. Pl. 23. f. 325. Herbst. Col. 6. 393. 372. Tab. 91. f. 3.

Var. b, duplo minor, macula holosericeo-atra

atra baseos elytrorum antice albido-squamosa.

Curculio fuliginosus, Marsh. Ent. Br. 1.280.124.

Habitat var. *b*, in Scania, ad Abusa et Esperöd, Dom. Prof. Zetterstedt; a, apud nos non inventus, quantum mihi innotuit.

Var. *b*, quae tantum in Scania lecta, Rh. guttula Germanorum duplo minor, Rh. litura aequalis, caeterum omni puncto conveniens. Caput parvum, retractum, nigrum, punctatum, cinereo-squamulosum, fronte impressa; rostrum longitudine fere capitis cum thorace, crassiusculum, arcuatum, nigrum, punctatum, cinereo-squamulosum. Antennae rostro longiores, nigrae. Thorax antice coarctatus et profunde constrictus, margine antico alte elevato, reflexo, sub-integro; basi bi-sinuatus, supra sub-depressus, niger, opacus, confertim punctatus; canalicula longitudinalis basi apiceque profunda, in medio fere interrupta, et versus latera utrinque tuberculum elevatum, sub-acuminatum. Scutellum minutum, immersum. Elytra antice thoracis basi multo latiora, humeris valde elevatis, prominulis, thorace vix duplo longiora, apice singulatim rotundata, supra parum convexa, nigra, opaca, regulariter crenato striata, interstitiis subtiliter granulatis; pone basin, in ipsa sutura, macula communis, ovata, atro-holosericea, antice plerumque macula minore aut albido-aut cinereo-squamosa aucta; et in ipso apice suturae macula oblonga, communis, albo-squamosa. Corpus subtus convexum, nigrum, punctatum, dense albido-vel cinereo-squamulosum, praesertim in pectore. Pedes elongati, validi, nigri, squamulis albidis sub-fasciati, femoribus dente valido armatis, tarsis piceis.

Obs. E Germania, sub nomine *R. Cardui*, quoque missus.

130. *R. marginatus* p. 224.

Variat triplo minor et ultra, caeterum in omnibus

simillimus. In illaesis individuis thorax versus apicem rudimenta gerit trium linearum albicantium, quarum laterales longiores, arcuatae.

131. *R. didymus* p. 225.

132. *R. pollinarius* p. 226.

133. *R. Borriginis* p. 227.

Ceutorhynchus quadridens, Germ. Ins. Sp. I.
221. 32.

Obs. *R. Borriginis*, Fabr. loc. cit. alius, apud nos non inventus, quare synonymon excludendum et nomen mutandum.

134. *R. sulcicollis* p. 228.

Falciger sulcicollis, Dej. Cat. p. 84.

Ceutorhynchus alauda, Germ. Ins. Sp. I. 220. 21.

Obs. Synonymon Paykullii forte ad sequentem pertinet.

134-135. *R. cyanipennis*: niger, sub-setosus, subtus griseo-squamosus, thorace canaliculato, constricto bi-tuberculato; elytris cyaneis, punctato striatis, interstitiis planis, seriatim punctatis, apice muricatis.

Ceutorhynchus cyanipennis, Germ. Ins. Sp. I.
235. 365.

Habitat in plantis passim, minus frequens.

Magnitudo, statura et summa affinitas *R. h. sulcicollis*, sed elytrorum color et punctura alia. Caput rotundatum, nigrum, sat profunde punctatum, griseo-pubescent, fronte plana, oculi modice prominuli, brunnei; rostrum longitudine capitis cum thorace, tenue, valde arcuatum, nigrum, nitidum, basi punctatum. Antennae longiusculae, tenues, nigrae, clava ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos brevior, antice multo angustior, constrictus, margine alte elevato, sub-emarginato; basi bi-

bi-sinuatus, supra perparum convexus, profunde punctatus, in medio canaliculatus, utrinque tuberculo parvo armatus. niger, interdum fusco-sub-aeneus, pilis depressis cinereis parce adpersus in canalicula dorsali magis condensatis. Elytra thoracis basi multo latiora, humeris elevatis, rotundatis, thorace plus duplo longiora, apice singulatim rotundata, supra modice convexa, sat profunde striata, striis punctatis, interstitiis latis, planis, singulo serie unica punctorum notato; coerulea vel cyanea, nitida, setulis minutis fuscis adpersa, versus apicem tuberculato-muricata. Corpus subtus nigro-aeneum, confertim punctatum, squamulis fusco-cinereis, in pectore densioribus, tectum. Pedes longiusculi, nigri, cinereo-pubescentes, femoribus dente parvo, obsoleto, armatis.

134-135. *R. hirtulus*: niger, sub-setosus, subtus griseo-squamulosus, thorace canaliculato, constricto, bi-tuberculato, elytris obscure coerulescentibus, anguste striatis, apice muricatis.

Ceutorhynchus hirtulus, *Germ. Ins. Sp. I.*
236. 364.

Habitat in plantis passim.

Minutus, *Rh. contracto*, No. 65., antea, parum major, eique simillimus, femoribus sub-dentatis et striis elytrorum ab illo distinctus. Caput planum, punctatum, nigrum, griseo-sub-pubescent, oculis modice prominulis, brunneis; rostrum longitudine capitis cum thorace, tenue, arcuatum, nigrum, nitidum, basi punctulatum. Antennae longiusculae, nigrae, clava magna, ovata. Thorax brevis, transversus, antice angustior, profunde constrictus, margine elevato, reflexo; basi bi-sinuatus, supra parum convexus, profunde punctatus, obsoletius canaliculatus, utrinque tuberculo elevato armatus, niger, parum pubescens. Elytra antice thorace paulo latiora, humeris elevatis, ro-

tundatis; mox pone basin ampliata, thorace triplo longiora, apice singulatim rotundata, supra convexa, striis angustis, in fundo obsolete catenato punctatis exarata, interstitiis latis, planis, certo situ punctis, alio verso angulis transversis, aequali fere spatio remotis, simplici serie notatis. Corpus subtus nigrum, punctatum, thorace pectoreque dense, ventre parcius albido-squamulosus. Pedes longiusculi, nigri, cinereo-pubescentes, femoribus dente parvo armatis.

135. *R. Quercicola* p. 230.

136. *R. rugulosus* p. 231.

Obs. *Curculio melanostictus*, Marsh. loc. cit. a Dom. Kirby ex Anglia communicatus, huic quidem valde affinis, distinctus tamen videtur, elytris paulo longioribus, pedibus, tarsis exceptis, nigris etc., quare *Synonymon* excludendum.

Var. c, praeunte Dom. Prof. Germar, ut distincta species consideranda, sub nomine:

136-137. *R. Chrysanthemi*: niger subtus albido-squamosus, antennis, tibiis tarsisque ferrugineis, thorace depresso, bituberculato, elytris fasciis duabus albido-squamosis, anteriore flexuosa, posteriore undulata. *Ceutorhynchus Chrysanthemi*, Germ. Ins. Sp. I.

221. 29.

Rhynchaenus rugulosus var. c, Ins. Sv. 3. 231. 136.

Habitat in plantis oleraceis passim.

Magnitudo, statura et summa affinitas praecedentis. Caput, oculi, rostrum ut in illo omnino; antennarum structura eadem, sed color dilatius ferrugineus. Thoracis forma similis, supra depressus, niger, punctatus, linea media et lateribus cinereo-pubescentibus, relicto tuberculo laterali nudo utrinque. Elytra antice thorace latiora humeris valde elevatis, thorace plus du-

duplo longiora, apice singulatim rotundata, supra convexa; anguste striata, interstitiis planis subtilissime coriaceis; nigra, parce fusco-variegata; in ipsa basi suturae litura magna, triloba, albido-squamosa, e cuius ramulo laterali utrinque exit fascia angusta, sub-interrupta, valde flexuosa, oblique versus medium disci ducta, dein antrorsum versus marginem humeralem flexa; versus apicem fascia altera albido-squamosa, magis transversa, sed irregularis et interrupta. Suturae medium, inter lituras albidas, macula oblongo-quadrata atra notatum, ut in priori. Corpus subtus et pedes ut in praecedente.

137. *R. Troglodytes* p. 233.

Var. *d*, jam pluries lecta in plantis oleraceis; elegans, lineis thoracis et lituris elytrorum e squamulis niveis, fere argenteis, compositis.

138. *R. globulus* p. 235.

139. *R. viminalis* p. 237. Gen. *Orchestes*, *Schönh. Curc.* p. 254.

Salius Quercus, *Germ. Mag.* 4. 328. 1.

140. *R. Alni* p. 238. *dito*.

141-142. *R. semi-rufus*: oblongus, niger, pubescens, scutello albido-piloso, elytris, antennis pedibusque rufo-ferrugineis.

Habitat in Gottlandia. *Dom. Wetterhall* et *Prof. Zetterstedt*.

Statura et affinitas *R. scutellaris*, sed fere duplo minor, *Rh. rufo* et *melanocephalo* Oliv. aequalis. Caput parvum, nigrum punctatum, griseo-pubescens, oculis magnis, brunneis, in fronte approximatis, non vero connatis; rostrum longitudine thoracis, crassiusculum, inflexum, arcuatum, nigrum, nitidum, laeve. Antennae vix longitudine thoracis, ante medium rostri insertae, rufo-testaceae, clava fuscescente.

scente. Thorax parvus, antice angustior, lateribus rotundatus, basi bi-sinuatus, supra fere planus, non impressus, crebre et profunde rugoso-punctatus, totus niger, pilis depressis cinereis. subtus densioribus et albidioribus, adpersus. Scutellum parvum, nigrum, pube densa, depressa, albida, nitida, tectum. Elytra magna, thorace multo latiora et quadruplo longiora, apice obtuse rotundata, supra modice convexa, profunde striato-punctata, tota rufo-ferruginea, pilis depressis cinereo-albidis adpersa. Pectus et abdomen tota nigra, sub-nitida, punctata, pube griseo-albida adpersa. Pedes validi, obscure rufo-testacei, pubescentes, femoribus posticis magnis, subtus denticulis pluribus armatis; genua et femora postica interdum subtus infuscata.

142. R. Ilicis p. 241. Genus *Orchestes*,
Schönherr.

Salius Ilicis, *Germ. Mag.* 4. 330. 6.

143. R. pilosus p. 242. *dito*.

Salius pilosus, *Germ. Mag.* 4. 330. 7.

Var. c, dimidio major, elytris rufescentibus,
basi brunneis.

In foliis *Betulae albae*, semel in *Westrogothia* lectus.

Magnitudine majore et colore elytrorum exceptis, in omnibus simillimus. Femora postica subtus angulata, denticulis pluribus minutis armata.

144. R. Fagi p. 243. *Orchestes*, *Schönh.*

Salius Fagi, *Germ. Mag.* 4. 330. 8.

144-145. R. Jota: ovatus, niger, scaber, hirtus, thorace brevi canaliculato, elytrorum sutura basi niveo-pilosa, antennis tarsisque piceo-ferrugineis, femoribus posticis subtus angulatis, seriato-dentatis.

Fabr.

Fabr. Syst. Eleut. 2. 495. 269.

Salius Jota, *Germ. Mag.* 4. 134. 18.

Curculio Rosae, *Herbst. Col.* 6. 428. 414.

Tab. 93. *f.* 10.

Rhynchaenus Rosae, *Zetterstedt Act. Holm.*
1818. 255. 7.

Habitat in Westrogothia. *Dom. Schönherr*;
in Scania, *Dom. Prof. Zetterstedt.*

Obs. *Rh. Jota*, *Ins. Sv.* No. 148. et *Curc. id.*
Paykullii, non idem *Fabricii*, quare nomen *Fabricii*
retinendum.

Statura ovata, sub-depressa, fere *Rh. Illicis*,
sed minor. Caput parvum, ovatum, profunde punctatum,
oculis magnis, sub-globosis, in fronte coadunatis;
rostrum longitudine fere capitis cum thorace, crassiusculum,
nigrum, nitidum, valde arcuatum, obsolete punctulatum.
Antennae basi rostri propius insertae, clava pilosa testacea,
scapo ferrugineo, funiculo piceo. Thorax brevis, antice angustatus,
truncatus, lateribus rotundatus, basi bi-sinuatus, supra
convexus, in-aequalis, in medio canaliculatus, totus ater,
confertim et profunde punctatus, pilis erectis fuscis hirtus.
Scutellum parvum, nigrum, punctulatum. Elytra antice
thoracis basi parum latiora, ante medium ampliata,
thorace quintuplo longiora, apice obtuse rotundata,
supra parum convexa, regulariter punctato-striata,
interstitiis planis, subtiliter rugulosis; tota nigra,
pilis fusco-cinereis declinatis adpersa; in basi suturae,
pone scutellum, linea abbreviata communis, e pilis
depressis niveis. Corpus subtus nigrum, nitidum,
crebre punctatum, pilis cinereis parce adpersum.
Pedes mediocres, nigri, cinereo-pilosi, tarsis fusco
ferrugineis; femora postica magna, subtus angulato-
dilatata, denticulis plurimis armata, primo majore,
acuto.

144 - 145. *R. Lonicerae*: ovalis, luteo-fer-

ferrugineus, pubescens, oculis, pectore, abdomine femorumque posticorum fascia nigris; elytris puncto humerali fasciisque media dentata nigro-fuscis.

Fabr. Syst. Eleut. 2. 495. 267.

Curculio Lonicerae, *Herbst. Col.* 6. 427. 413.

Tab. 93. *f.* 9.

Salix Lonicerae, *Germ. Mag.* 4. 331. 10.

Habitat in Finlandiae Lonicera, Aboae, non infrequens. *Dom. Prof. Sahlberg.*

Statura et color Rh. scutellaris sed dimidio minor et ultra. Caput angustum, pallide ferrugineum, punctatum, pubescens, oculis magnis, brunneis, maris in fronte magis approximatis, quam feminae; rostrum feminae longitudine fere capitis cum thorace, tenue, arcuatum, rufum-brunneum, nitidum, laeve; maris paulo brevius et crassius, basi pubescens. Antennae vix rostro cum capite longiores, pallidae, clava pubescente. Thorax brevis, transversus, basi apiceque truncatus, lateribus rotundato-amplius, supra parum convexus, obsolete punctatus, luteo-ferrugineus, opacus, pubescens. Scutellum triangulare, albido-pubescentia. Elytra thoracis basi multo latiora, humeris sub-rectangulis, thorace quintuplo longiora, apice rotundata, supra modice convexa, profunde sulcato-punctata, punctis sub-umbilicatis, interstitiis angustis, elevatis; dilutius flavo-testacea, pubescentia; in ipso callo humerali punctum nigro-fuscum et in medio fascia angusta, irregularis, utrinque dentes inaequales emittens, jam nigra, jam dilutius fusca. Thorax subtestaceus, punctatus; pectus et abdomen nigra, sub-nitida, punctata, cinereo-pubescentia. Pedes validi, luteo-testacei, pubescentes, femoribus posticis ante apicem annulo nigro-fusco cinctis, muticis.

145. R. Salicis p. 245. Sub-genus *Tachyerges*, *Schönh. Curc.* p. 256.

Salix

Salius bi-fasciatus, Germ. Mag. 4. 332. 13.

Obs. Dom. Marsham loc. cit. certe nostrum ut C. Salicis descripsit et Musaeum Linnaeanum consuluit, quare nomen manebit.

Variat frequens fascia elytrorum anteriore interne vix vel parum flavescente; fascia posterior aut continua, aut lineolis discretis composita, tarsi semper nigri.

Orchestes rufitarsis, Dej. Cat. p. 82. Salinus rufitarsis, Germ. Mag. 4. 333. 14. in plurimis simillimus, sed major et tarsi toti laete rufo-testacei; apud nos vero non occurrit, quantum mihi innotuit.

145 - 146. R. decoratus: ovalis, niger, antennis tarsisque rufo-testaceis, scutello albo, elytris fasciis duabus obsoletis, e lineolis albidis compositis (a Dom. Schüppel hoc nomine missus).

Salius decoratus, Germ. Mag. 4. 333. 15.

Orchestes confinis, Megerl. Dej. Cat. p. 83.

Olim etiam sub nomine *Orchestes undulatus* a Dom. Megerle a Mühlfeldt communicatus.

Habitat in Salicetis, apud nos rarius; ad Sparrsätra, Dom. Schönherr; ad Höberg, Auctor.

Medius quasi inter Rh. Salicis et bi-fasciatum; a priori differt thorace brevior et colore tarsuum; a posteriori, thorace obsolete tantum punctato, elytrorum sutura non basi alba et tibiis posticis externe angulatis etc. Caput convexum, nigrum, confertim punctatum, oculis magnis globosis, in fronte coadunatis; rostrum longitudine capitis cum thorace, crassiusculum, arcuatum, nigrum, nitidum, punctulatum. Antennae rufo-testaceae, clava plerumque fusciscente. Thorax brevissimus, transversus, basi apiceque truncatus, lateribus sub-rotundatus, posterius latior, supra depressus, fere planus, totus niger, obsole-

soletius punctatus, pubescens. Scutellum parvum, elevatum, dense albido-pubescens. Elytra antice thoracis basi multo latiora, callo humerali valde elevato, thorace quintuplo longiora et ultra, apice sub-rotundata, supra posterius convexa, dorso antico impressa; sat profunde punctato-striata, interstitiis planis subtiliter coriaceis; nigra, sub-nitida, pubescentia; fasciae duae dorsales, approximatae, utrinque abbreviatae, una paulo ante altera paulo pone medium e lineolis discretis albido-pilosis compositae. Corpus subtus nigrum, sub-nitidum, punctulatum, parum pubescens. Pedes validi, nigri, pubescentes, tarsis totis rufo-testaceis, tibiae posticae externae angulatae, fasciculo piloso dentiformi instructae.

146. R. signifer p. 246. *Orchestes*, *Schönh.*

Salus Salicis, *Germ. Mag.* 4. 332. 12.

147. R. bi-fasciatus p. 247. *dito.*

Salus Rusci, *Germ. Mag.* 4. 335. 16.

148. R. Jota p. 248. Subgen. *Tachyerges*, *Schönh. Curc.* p. 256.

Salus Stigma, *Germ. Mag.* 4. 334. 19.

Orchestes albo-scutellatus, *Dej. Cat.* p. 82.

Obs. Synonymon Fabricii excludendum, et nomen in R. h. *Stigma* mutandum.

149. R. Populi p. 249. Subgen. *Tachyerges*, *Schönh.*

Salus Populi, *Germ. Mag.* 4. 334. 20.

150. R. Saliceti p. 250. Subgen. *Tachyerges*, *Schönh.*

Salus Saliceti, *Germ. Mag.* 4. 335. 21.

151. R. pulicarius p. 251. Gen. *Rhamphus*, *Schönh. Curc.* p. 49.

Rhamphus flavicornis, *Clairv. Ent. Helv.* 1.

104. *Tab.* 12. *Oliv. Ent.* 5. 81. 40. 58.

Attel.

Attel. Pl. 3. f. 58. a, b, c, Latr. Gen. Ins.
2. 250. 1.

152. *R. plantaris* p. 252.

Anoplus plantaris, Schönh. Curc. p. 244.

153. *R. sub-fasciatus* p. 253. *Gen. Ceutorhynchus, Stirps 2., Spurii, Schönh. Curc. p. 299.*

C A L A N D R A.

1. *C. granaria* p. 255. Subgen. *Calandra, Schönh. Curc. p. 238.*

Obs. *Calandra Oryzae* auctorum, saepius quidem viva inventa inter grana *Oryzae* in mercatorum tabernis, non tamen spontanea Sveciae incola.

C O S S O N U S.

1. *C. linearis* p. 256. *Gen. id., Schönh. Curc. p. 330.*

Oliv. Ent. 5. 83. 425. 525. Pl. 35. f. 534. f. a, b, c.

1-2. *C. ferrugineus*: niger, glaber, antennis, elytris pedibusque ferrugineis, rostro longiore, apice dilatato, thorace subtilius punctato, non impresso.

Oliv. Ent. 5. 83. 426. 526. Pl. 35. f. 535.

Zetterstedt Act. Holm. 1818. 255. 8.

Var. *b*, pallide testaceus totus, capite rostroque brunneis.

Habitat in Ostrogothia ad Läcketorp; in trunco putrescente *Populi Tremulae*, a *Dom. Prof. Zetterstedt*, copiose lectus.

Praecedenti similis, sed dimidio major, rostrum multo longius, minus crassum, thorax subtilius et par-

cus

cus punctatus, basi non impressus, elytra minus profunde punctato-striata, non sulcata etc. Caput porrectum, nigrum postice laeve, inter oculos parce punctatum; oculi laterales nigri, subprominuli; rostrum feminae longitudine fere capitis cum thorace, maris paulo brevius, in utroque porrectum, parum arcuatum, modice crassum, nigrum, nitidum, punctulatum, apice quadrangulariter dilatatum, planum, piceum. Antennae versus apicem rostri insertae, rostro cum capite longiores, scapo longissimo, clavato, ferrugineo, articulis 2, 3, breviter obconicis, 4—8, brevissimis, perfoliatis, coarctatis, nigro-piceis, clava ovato-acuminata, testacea, pallido-pubescente. Thorax sub-quadrangulus, basi apiceque truncatus, antice coarctatus, lateribus nonnihil rotundatus, supra parum convexus, subtiliter et minus crebre punctatus, niger, nitidus, glaber. Scutellum parvum, rotundatum, piceum, laeve. Elytra thoracis basi latiora, humeris elevatis, sub-rectangulis, thorace plus duplo longiora, linearia, apice rotundata, supra in dorso parum convexa, interne subtilius, versus latera profundius punctato-striata, interstitiis planis, laevibus; tota ferruginea vel testacea, nitida, glabra. Corpus subtus rufopiceum, nitidum, obsolete punctulatum. Pedes breviusculi, tennes, rufotestacei, geniculis piceis.

Var. b, colore dilutiore tantum differt, immatura forte.

Obs. *Cossonus ferrugineus*, Dej. Cat. p. 99., ab ipso Comite benevole missus, quoad colores nostro similis, sed dimidio minor, thorax a basi versus medium longitudinaliter bis impressus, ibique profunde punctatus; elytra profundius striato-punctata etc., quare certe species distincta.

2. *C. lignarius* p. 258. Subgen. *Rhyncholus*, *Schönh. Curc.* p. 352.

Cossonus cylindrirostris, *Oliv. Ent.* 5. 83. 427. 528. *Pl.* 35. f. 557. forte.

Rhyncholus cylindrirostris, *Dej. Cat.* p. 100.?

2-3. *C. truncorum*: piceus, glaber, rostro capite longiore et angustiore, thorace sub-ovali, profundius punctato, elytris profunde sulcato-punctatis, femoribus compressis, utrinque dilatatis.

Germ. Ins. Sp. I. 308. 446.

Rhyncolus tenuirostris, *Character, sec. Dom. Megerl. in litteris.*

Habitat in Blekingia, rarissime. *Dom. Schönherr.*

C. chloropo minor, brevior, et ab illo praesertim rostro multo longiore et tenuiore distinctus; a *C. lignario* differt: rostro brevior et latior, thorace profundius punctato etc. Caput breve, convexum, piceum, subtilissime punctulatum, oculis lateralibus, valde depressis, brunneis; rostrum capite multo longius et angustius, praesertim feminae, sub-cylindricum, confertim punctulatum, rufo-piceum. Antennae breviusculae, minus crassae, ferrugineae, clava dilutior, apice sub-truncata. Thorax latitudine paulo longior, anterieus angustior, ante apicem vix constrictus, lateribus pone medium dilatatus, basi truncatus, angulis rotundatis; supra convexus, aequalis, sat crebre et profunde punctatus, aut rufo- aut nigro-piceus, nitidus, glaber. Scutellum minutum, concolor. Elytra thorace parum latiora et vix duplo longiora, supra convexa, profunde sulcato-punctata, interstitiis sub-convexis, subtilissime disperse punctulatis; rufo-picea, nitida. Corpus subtus rufo-piceum, sub-nitidum, thorace crebrius, pectore et ventre parcius punctatis. Pedes breves, ferruginei, femoribus compressis, utrinque rotundato-ampliatis.

Obs. *Cossonus culinaris*, *Germ. Ins. Sp. I.* 306. 405. *Rhyncolus brevirostris*, *Dom. Megerle a Mühlfeldt in litteris*, huic in multis similis, sed differt: clava antennarum ovata, sub acuminata, elytris

tris posterius setosis seu muricatis etc.; sed hic apud nos adhuc non inventus.

3. *C. chloropus* p. 259. *Rhyncholus*,
Schönherr.

Obs. Exstant species plures, etsi simillimae, tamen distinctae; *C. chloropus* auctorum, a nemine ita sufficienter descriptus, ut de identitate cum nostro pro certo dijudicari possit; e maxime illi affinibus unus est:

3-4. *C. elongatus*: niger, glaber, antennis brevibus, crassis, pedibusque piceis, thorace profundius punctato, medio subcarinato, elytris sulcato-punctatis, rostro brevissimo, depresso, latitudine capitis.

Rhyncholus elongatus, *Dej. Cat. p. 100. forte.*

Curculio planirostris, *Parz. Fn. 18. f. 18. forte.*

Habitat in truncis arborum exsiccatis, passim.

Magnitudo et statura praecedentis, cui simillimus, sed differt: Antennis adhuc crassioribus; thorace paulo brevior, lateribus magis rotundato, profundius et minus crebre punctato, dorso carinula vel saltem linea media laevi notato, elytris profundius sulcato-punctatis, interstitiis angustioribus etc. Caput porrectum, nigrum, punctatum, vertice elevato sub-laevi; rostrum latitudine capitis et illo fere brevius, confertim punctulatum, nigrum, perparum convexum, supra os impressum. Antennae brevissimae, valde crassae, scapo clavato, basi piceo; articulo secundo magno cyathi-formi; 3-8, brevissimis, coarctatis, perfoliatis, nigro-piceis; clava flagello parum crassiore, ovata, subacuminata, testacea, apice pubescente. Thorax latitudine postica paulo longior, anterieus angustior et prope apicem leviter constrictus, lateribus pone medium rotundato-ampliatum, basi truncatus, angulis rotundatis; supra convexus, multo profundius sed minus crebre quam in priori punctatus, relictis in medio dorsi li-

nea abbreviata, interdum sub-carinata, laevi; totus niger, glaber. Scutellum minutum, rotundatum, nigrum. Elytra thoracis medio non latiora, sed illo fere duplo longiora, linearia, apice rotundata, supra convexa, sulcis latis, profunde punctatis, exarata, interstitiis angustis, elevatis, sub-punctatis; nigra vel nigro-picea, sub-opaca. Corpus subtus nigro-piceum, confertim punctatum. Pedes breves, validi, rufo-picei, tarsis dilutioribus.

Obs. *Cossonus porcatus*, Germ. Ins. Sp. I. 308. 447., *Rhyncolus crassirostris*, Dej. Cat. p. 100., e Gallia et Germania missus, huic in multis similis, sed differt: rostro paulo longiore, versus apicem angustiore; antennarum clava obtusa, fere truncata; thorace adhuc profundius punctato etc.

4. *C. Lymexylon* p. 260. Genus *Dryophthorus*, *Schönh. Curc. p. 332.*

Bulbifer Lymexylon, *Dej. Cat. p. 99.*

CURCULIO p. 261.

1. *C. sulcirostris* p. 261. Gen. *Cleonus*, *Schönh. Curc. p. 145.*

2. *C. tri-sulcatus* p. 263. *dito.*

3. *C. nebulosus* p. 264. *dito.*

4. *C. glaucus* p. 265. *dito.*

4-5. *C. grammicus*: elongatus, niger, opacus, pubescens, thorace linea laterali utrinque, elytro singulo macula baseos cinereo-albidis, capite thoraceque carinatis.

Herbst. Col. 6. 514. 555. Tab. 79. f. 8.

Lixus grammicus, *Oliv. Ent. 5. 83. 261. 271.*

Pl. 17. f. 213.

Cleonus grammicus, *Schönh. Curc. p. 276.*

Habitat in Ostrogothiae monte Omberg, a
Dom. Marklin in copula captus.

C. albido longior sed angustior, magis convexus. Caput breve, nigrum, ruguloso-punctatum, cinereo - vel ferrugineo-pubescent, oculis lateralibus, depressis, nigris; rostrum latitudine fere capitis et illo paulo longius, valde crassum, supra parum convexum, confertissime ruguloso-punctatum, obsolete carinatum, praesertim in femina; totum nigrum, opacum, pubescens. Antennae breves, crassae, nigrae, clava oblongo-ovata, acuminata, dense cinereo-pubescente. Thorax latitudine longior, antrorsum paulo angustior, apice sub-bisinuatus, juxta apicem utrinque impressus, basi elevato-marginatus, in medio nonnihil productus, supra modice convexus, anterieus perspicue carinatus, posterius sub-impressus, niger, opacus, subtiliter coriaceus et rugulosus, pube cinerea aut ferruginea tectus; in utroque latere linea longitudinalis e pube depressa alba aut flavescente. Scutellum vix ullum. Elytra antice thoracis basi non latiora, sed mox pone basin ampliata, thorace plus duplo longiora, apice rotundata, supra valde convexa, nigra, opaca, confertissime coriacea, obsoletissime punctato-striata, pube cinerea aut ferruginea obducta; in basi interiore singuli elytri macula oblonga, obliqua et in quovis humero linea, e pube depressa, albida vel flavescente. Corpus subtus nigrum, subtiliter coriaceum, pube densa cinerea aut ferruginea tectum. Pedes longiusculi, validi, nigri, dense pubescentes.

5. C. albidus p. 267. Gen. Cleonus, subgen. Bothynoderes, *Schönh. Curc. p. 147.*

5-6. C. inquilinus: oblongus, niger, villositate flavescente cinereaque, in elytris fasciatim condensata, tectus; antennarum scapo brevissimo, rostro brevi, arcuato, perspicue carinato.

Gen.

Gen. *Rhinocyllus*, *Schönh. Curc.* p. 58.

Habitat in Finlandia, rarissime. *Dom. Prof.*

Sahlberg. Mus. Dom. Schönherr.

Rhinocyllo carinato et Olivierii Schönh. simillimus, sed plus duplo minor, *C. lineello* subaequalis, at ut videtur distinctus. Caput majusculum rotundatum, nigrum, confertissime punctulatum, fronte plana, canaliculata, villositate densa fulvescente tecta; oculi laterales, majusculi, oblongi, brunnei; rostrum vix capite longius et illo parum angustius, crassum, arcuatum, nigrum, ruguloso-punctatum, supra parum impressum, dense fulvescenti-villosum, a basi ultra medium carinula elevata perspicua notatum. Antennae capite cum thorace breviores, crassae, nigrae, cinereo-pubescentes, scapo brevissimo, ob-conico; articulo secundo aequae crasso, adhuc brevior, etiam ob-conico; sequentibus flagelli paulo minoribus, sed anterioribus sensim crassitie crescentibus, omnibus brevissimis, perfoliatis, arcte junctis; clava ovata, subacuminata, 4-articulata, densius pubescente. Thorax brevis, transversus, antice angustior, truncatus, juxta apicem leviter constrictus, margine elevato; basi sat profunde bi-sinuatus, lobo medio triangulari, adscendente; supra convexus, niger, confertissime ruguloso-punctatus, villositate longa cinereo-fulvescente, versus latera magis condensata, tectus. Scutellum occultatum. Elytra antice thoracis basi parum latiora, sed illo plus triplo longiora, sub-linearia, apice rotundata, supra modice convexa, regulariter striata, interstitiis planis, subtilissime coriaceis; nigra, anterieus villositate longiori flavo-cinerascente tecta, posterius pube depressa cinerea, in maculas transversales et fascias abbreviatas irregulares digesta, adspersa. Corpus subtus nigrum, punctulatum, parcius pubescens. Pedes breviusculi, validi, nigri, longius villosi, femoribus anticis crassioribus, omnibus muticis.

6. *C. palliatus* p. 268. Gen. *Tanymecus*,

Schönh. Curc. p. 127.

7. *C. viridis* p. 269. Gen. *Chlorophanus*,
Schönh. Curc. p. 53.

8. *C. flavipes* p. 271. Gen. *Polydrosus*,
Schönh. Curc. p. 158.

Polydrosus sericeus, *Germ. Ins. Sp. I. 452. 5.*

9. *C. parvulus* p. 272. Gen. *Phyllobius*,
Schönh. Curc. p. 180.

Obs. Monente Dom. Germar, *Ins. Sp. I. p. 450.*
C. parvulus Fabricii non cum nostro idem, quare
nomen Marshami *C. uniformis*: assumendum.

10. *C. viridicollis* p. 273. Gen. *Phyllobius*,
Schönh.

11. *C. undatus* p. 275. Gen. *Polydrosus*,
Schönh. Curc. p. 158.

12. *C. fulvicornis* p. 276. *dito.*

13. *C. caninus* p. 277. Genus *Sitona*,
Schönh. Curc. p. 154.

14. *C. lineatus* p. 279. *dito.*

15. *C. lineellus* p. 281. *dito.*

Obs. *C. macularius*, Marsh. l. c. huc non per-
tinet, sed ad *C. crinitum*, Oliv. *Ent. 5. 83. 382.*
458. Pl. 35. f. 550. *Sitona crinita*, Dej. *Cat.*
p. 94. secundum specimina ex Anglia missa.

16. *C. tibialis* p. 283. Gen. *Sitona*, *Schönh.*

17. *C. hispidulus* p. 284. *dito.*

18. *C. incanus* p. 286. Gen. *Brachyderes*,
Schönh. Curc. p. 102.

Var. *b*, pedibus rufescentibus.

Curculio rufipes, Linn. *Syst. 2. 617. 83. Fn.*
Sv. 654.

Habitat cum *a*, passim.

19. *C. hirticornis* p. 287. Gen. *Otiiorhynchus*, *Schönh. Curc.* p. 203.
 20. *C. tenebricosus* p. 288. *dito.*
 21. *C. atro-apterus* p. 290. *dito.*
 22. *C. ater* p. 291. *dito.*
 23. *C. laevigatus* p. 292. *dito.*
 24. *C. maurus* p. 295. *dito.*
 25. *C. obscurus* p. 294. Gen. *Barynotus*,
Schönh. Curc. p. 164.

Obs. Propter distinctionem a sequenti, diagnosis haec erit:

C. obscurus: nigro-piceus, squamulis fuscis cinereisque variegatus, rostro glabriori uni-sulcato, foveolis oblongis ruguloso, elytris obsoletius punctato-striatis, striis quinta et septima juxta humerum arcuatim connexis.

25-26. *C. Bohemanni*: nigro-piceus, squamulis cinereis unicoloribus tectus, rostro squamuloso quinque-sulcato, elytris profundius punctato-striatis, striis quinta et sexta longe infra humerum arcuatim connexis.

Habitat in graminosis Ostro- et Westrogothiae passim.

Simillimus et valde affinis praecedenti, cujus varietatem minorem olim credidi, constanter tamen differre videtur: squamulis paginae superioris cinereis, uni-coloribus, nec variegatis; rostro etiam squamulis tecto et sulcis duobus sub-obliquis abbreviatis, ad utrumque latus sulci medii exarato; punctis striarum in elytris majoribus, profundioribus, praesertim antice,

ut et striis exterioribus aliter locatis. Capitis, oculorum et rostri forma ut in *C. obscuro*, sed rostrum squamulis densis cinereis tectum, et praeter canaliculam mediam rectam, longiorem, utrinque sulcis duobus paulo brevioribus, nonnihil obliquis, exaratum. Antennae, thorax et scutellum ut in priori. Elytrorum forma etiam eadem, sed squamulae illas tegentes, unicolores, cinereae, nec variegatae, et puncta striarum profundiora, magis remota. Striarum situs etiam alius, nam in hac specie stria quinta et sexta a sutura, longe infra humerum arcuatim conjunguntur, cum in priori stria quinta haud procul ab angulo humerali cum stria septima arcuatim connectatur, interjacente stria sexta libera; in utraque specie ceterum sutura postice carinata, setosa et interstitia alterna a sutura plus minusve elevata, etiam setulis sub-erectis adspersa. Corpus et pedes ut in priori.

Dom. Boheman, Capitaneus, Entomologus oculatissimus, differentiam a priori primus detexit, quare in ejus memoriam nominatus.

26. *C. mercurialis* p. 296. Gen. *Barynotus*, *Schönh. Curc.* p. 164.

27. *C. raucus* p. 297. Gen. *Otiorynchus*, *Schönh. Curc.* p. 203.

28. *C. setosus* p. 298. *dito.*

29. *C. pilosellus* p. 300. Gen. *Thylacites*; sub-gen. *Strophosomus*, *Schönh. Curc.* p. 97.

Thylacites limbatus, *Dej. Cat.* p. 95.

30. *C. limbatus* p. 301. *dito. Schönh.*

Thylacites squamiger, *Dej. Cat.* p. 95.

31. *C. geminatus* p. 302. Gen. *Thylacites*, sub-genus *Cneorhinus*, *Schönh. Curc.* p. 96.

32. *C.*

32. *C. Coryli* p. 304. Gen. *Thylacites*, subg. *Strophosomus*, *Schönh. Curc.* p. 97.

Obs. Magnitudo et color hujus vulgatissimae speciei nimium variabilis, sed notas ad specificas distinctiones sufficientes detegere non potui; promiscue quoque cohabitant et copulantur. *Thylacites affinis*, Dej. Cat. p. 95., ab ipso Comite missus, ad nostram var. b, pertinet, et var. c, ejus, *Th. Coryli* genuinus est. *Thylacites Cervinus*, Germ. Ins. Sp. I. 412. 8., etiam hujus var.

33. *C. squamulatus* p. 306. Subgen. *Strophosomus*, *Schönh. Curc.* p. 97.

34. *C. hirsutulus* p. 307. Subgen. *Brachysomus*, *Schönh. Curc.* p. 99.

35. *C. scabriculus* p. 309. Gen. *Trachyphloeus*, *Schönh. Curc.* p. 189.

Curculio bi-foveolatus, Beck. Beytr. p. 22. 36. Tab. 7. f. 36.

Curculio terrenus, Dom. Schüppel in litteris, olim, qui alium, nonnihil diversum, apud nos adhuc non inventum, ut *C. scabriculum Herbstii* communicavit, quare Synonymon ejus deleatur; noster certe idem ac *C. scabriculus*, Linn. Payk. Bonsd. etc.

Obs. Antennae in medio scrobis lateralis rostri insertae, ab ore magis remotae.

Var. b, plerumque dimidio major, magis variegatus, parcius setosus.

35-36. *C. aristatus*: ovatus, rufo-piceus, antennis, elytris, pedibusque dilutioribus, undique squamis erectis albidis muricatus, rostro thoraceque canaliculatis.

Trachyphloeus aristatus, *Schönh. Curc.* p. 190.

Habitat in aridis, praecedente rarior.

Magnitudo, statura et affinitas praecedentis, sed differt: Thorace elytrisque totis, ut et antennarum scapo, femoribus tibiisque squamulis densis, erectis, albidis muricatis; antennis in apice rostri insertis etc. Caput depressum, obsolete punctulatum, indumento denso cinereo tectum, oculis lateralibus, parvis, subglobosis, brunneis; rostrum latitudine fere capitis et illo vix longius, quadrangulum, supra concavum, in medio canaliculatum, indumento simili uti caput tectum. Antennae in ipso apice scrobis lateralis, juxta os, insertae, breves, crassae, rufo-ferrugineae, structura ut in priori, sed scapus squamulis densis, erectis, albidis muricatus. Thorax brevis, transversus, basi apiceque truncatus, lateribus valde rotundato-ampliatum, ante apicem constrictus, margine supra caput elevato, apice pallido; supra parum convexus, obsolete rugoso-punctatus, in medio late canaliculatus, rufo-piceus, squamulis erectis albidis muricatus. Scutellum nullum. Elytra magna, ovata, ante medium valde ampliata, apicem versus angustiora, thorace quintuplo longiora, supra valde convexa, profunde punctato-striata, interstitiis subtilissime coriaceis; aut rufo-picea, aut dilutius rufo-ferruginea, sub-nuda; in singulo interstitio series integra e squamulis latis, erectis, albidis, posterius longioribus et densioribus. Corpus subtus dilatius rufo-testaceum, punctatum, tenue pubescens. Pedes validi rufo-testacei, femoribus tibiisque squamulis longis, angustis, rigidis, erectis, albidis, dense obsitis.

35-36. *C. spinimanus*: ovatus, niger, indumento fusco-cinereo-tectus, squamulisque erectis cinereo-albidis parcius adspersus, antennis pedibusque ferrugineis, thorace vix canaliculato, tibiis anticis versus apicem externe bidentatis.

Trachyphloeus spinimanus, Germ. Ins. Sp. I.
405. 550. Schönh. Curc. p. 190.

Ha-

Habitat in collibus arenosis, tempore vernali passim.

Statura omnino *C. scabriculi*, sed dimidio minor et ultra, armatura tibiaram praecipue distinctus. Caput depressum, indumento denso fusco-cinereo tectum, pariter ac rostrum et tota pagina superior; oculi prominuli, brunnei; rostrum latitudine et longitudine capitis, sub-quadratum, supra planum, vix vel obsoletissime canaliculatum. Antennae crassae ferrugineae, clava pallidiori, structura ut in prioribus, in medio scrobis lateralis, ante apicem rostri insertae. Thorax brevis, transversus, basi apiceque truncatus, antice multo angustior, constrictus, margine supra caput elevato; lateribus pone stricturam rotundato-amplius, supra in dorso posterius convexus, vix canaliculatus, indumento fusco-cinereo obductus, versus margines squamulis erectis albidis parce adpersus; indumento detrimento, fundus niger, perspicue rugoso-punctatus. Elytra magna, structura ut in prioribus, supra valde convexa, indumento fusco-cinereo obducta, squamulisque erectis cinereo-albidis parcius adpersa; indumento detrimento saturate nigra, sat profunde striato-punctata, punctis remotis, interstitiis latis, planis, subtilissime coriaceis. Corpus subtile piceum, obsolete punctatum, tenue pubescens. Pedes validi, ferruginei, tibiis tarsisque setis rigidis albidis adpersis; tibiae anticae versus apicem externe denticulis duobus erectis, acutis, armatae, superiore valdiore, et praeterea subtus uncus seu denticulus tertius, minor, arcuatus.

55 - 56. *C. digitalis*: brevior, ovatus, indumento denso cinereo tectus, antennis pedibusque ferrugineis, thorace depresso, vix canaliculato, tibiis anticis externe spinis duabus longioribus, acutis, armatis.

Habitat prope Holmiam et in Gottlandia, rarius. *Mus. Dom. Schönherr.*

Proxime praecedenti simillimus et valde affinis, sed adhuc dimidio minor, brevior, minus convexus, totus supra indumento denso fusco-cinereo unicolore omnino tectus. Caput, rostrum et antennae ut in priori. Thorax brevissimus, transversus, antice multo angustior, constrictus, lateribus aequaliter valde rotundato-amplius, supra parum convexus, aequalis, non canaliculatus, versus margines squamulis paucis erectis muricatus. Elytra breviter ovata, postice obtusa, declivia, in dorso minus convexa, indumento crasso tecta, unde obsoletissime tantum striata videntur, squamulis paucis, parvis, erectis, albidis, versus apicem adspersa. Corpus subtus piceum, punctulatum, parce albido-squamulosum. Pedes validi ferruginei, tibiis parce ciliatis, anticis versus apicem externe dentibus duobus longioribus, acutis, armatis.

56. *C. Ligustici* p. 310. Gen. *Otiorhynchus*, *Schönh. Curc.* p. 259.
 57. *C. nubilus* p. 312. Gen. *Liophloeus*, *Schönh. Curc.* p. 159.
 58. *C. sulcatus* p. 313. Gen. *Otiorhynchus*, *Schönh. Curc.* p. 203.
 59. *C. aeneo-punctatus* p. 314. *dito.*
 40. *C. Lepidopterus* p. 315. *dito.*
 41. *C. Zebra* p. 316. *dito.*
 42. *C. picipes* p. 317. *dito.*
 43. *C. rugifrons* p. 319. *dito.*
 44. *C. ovatus* p. 320. *dito.*
 45. *C. muricatus* p. 321. Gen. *Thylacites*, *Schönh. Curc.* p. 94. Subgenus *Sciaphilus* p. 98.
 46. *C. Pyri* p. 323. Genus *Phyllobius*, *Schönh. Curc.* p. 180.

47. *C. argentatus* p. 325. Gen. *Phyllobius*, *Schönh.*

Obs. In var. d, antennae aut ut in a, aut saturatius ferrugineae; tibiae aut ferrugineae, aut obscurius piceae, praesertim posteriores; transitum ideo parat ad varietatem e, quae a Dom. Germar et Schönherr ut distincta species consideratur, sub nomine:

47-48. *C. maculicornis*: oblongus niger, coerulescenti vel viridi-squamosus alboque sub-setosus, antennis ferrugineis, clava scapique apice nigris, pedibus nigris, tarsis piceis.

Phyllobius maculicornis, *Germ. Ins. Sp. I.*
449. 594. *Schönh. Curc. p.* 182.

Habitat cum priore, non infrequens.

Praecedenti, praecipue ejus var. d, simillimus et nimis affinis, colore antennarum et pedum unice distinctus. Antennarum scapus ferrugineus, apice clavatus, niger; funiculus totus ferrugineus, sed clava nigra. Pedes nigri, tarsis jam dilutius, jam saturatius piceis. Caetera ut in praecedenti omnia.

48. *C. sericeus* p. 326. Gen. *Polydrosus*,
Schönh. Curc. p. 138.

Polydrosus squamosus, *Germ. Ins. Sp. I.* 452. 4.
Curculio splendidus, *Herbst. Arch.* 5. 82. 72.
Tab. 24. f. 30.

49. *C. micans* p. 328. Gen. *Polydrosus*,
Schönherr.

50. *C. Rubi* p. 329.

51. *C. Mali* p. 330. Genus *Phyllobius*,
Schönh. Curc. p. 180.

Var. d, niger, parcius pubescens, femoribus

bus fere totis, saepe etiam tibiis posticis nigris.

Habitat cum prioribus passim.

Pili vel squamulae paginae superioris rariores, aut cinereae, aut virescentes; color corporis magis niger; femora omnia fere tota nigra, interdum basi plus minusve rufo-picea; tibiae, praesertim posticae, etiam saepe obscurius piceae.

52. *C. Cervinus* p. 332. Gen. *Polydrosus*, *Schönh.*

53. *C. oblongus* p. 334. Gen. *Phyllobius*, *Schönh.*

HYLESINUS p. 335.

1. *H. ligniperda* p. 335.

2. *H. Piniperda* p. 337.

3. *H. crenatus* p. 339.

4. *H. palliatus* p. 340.

Hylurgus palliatus, *Dej. Cat.* p. 100.

5. *H. angustatus* p. 342.

Hylurgus opacus, *Ziegler. Dej. Cat.* p. 100.
ab ipso Comite, in litteris ita designatus.

6. *H. ater* p. 345.

Hylurgus ater, *Dej. Cat.* p. 100.

Obs. In medio thoracis linea angusta, laevis, carinulam mentiens, saepe observatur, minime vero elevata. Statura multo majore, longiore, thorace profundius punctato etc., a priori tamen facile distinguitur. Thorax solito in medio nonnihil ampliatus, supra confertissime punctatus, unde interstitia angusta rugulas retiformes formant et color inde magis opacus. Occurrunt etiam individua, in quibus thorax paulo longior, angustior et magis cylindricus videtur, et punctura minus crebra, unde interstitia latiora, magis

gis nitida; cæterum in omnibus simillima, vix distinguenda.

7. *H. Fraxini* p. 345.

8. *H. rhododactylus*: nigro-piceus, pilis rigidis cinereis scaber, antennarum basi tarsisque ferrugineis, elytris profunde punctato striatis.

Ips rhododactylus, Marsh. Ent. Br. 1. 58. 22.

Habitat in Scania. Dom. Prof. Zetterstedt; prope Holmiam, Dom. Schönherr. Ex Anglia a Dom. Kirby missus.

Minutus, Eccopt. polygrapho similis, sed adhuc minor, antennarum clava articulata et elytra profunde punctato-striata. Caput crassum, deflexum, nigro-piceum, punctulatum, pilis minutis cinereis adspersum; oculi depressi, nigro-brunnei. Antennae capite parum longiores, basi testaceae, clava oblonga, fusco-picea, pilosa, evidenter articulata. Thorax latitudine baseos paulo longior, anterieus angustior, apice truncatus, basi bisinuatus, supra convexus, nigro-piceus, opacus, confertim punctatus, pilis rigidis, depressis, cinereis, nitidis adspersus. Scutellum vix observandum. Elytra thoracis basi non latiora, sed illo triplo longiora, basi singulatim rotundata, elevato-reflexa, apice acuminata, supra convexa, nigro-picea, opaca, striis latis et sat profundis, rude punctatis; exarata, interstitiis angustis, carinatis, pilis rigidis cinereis, depressis, seriatis, exasperatis. Corpus subtus nigrum, magis nitidum, vix punctulatum, tenue pubescens. Pedes breviusculi, validi, femoribus crassiusculis nigris, tibiis piceis, basi tenuibus, apicem versus incrassatis, externe serrato-dentatis, tarsis tenuibus ferrugineis.

ECCOPTOGASTER p. 346.

1. *E. Scolytus* p. 346.

Obs.

Obs. *Bostrichus Scolytus*, Panz. Fn. 15. f. 6. testante Dom. Illiger in Mag. 6. 304., ad speciem aliam pertinet, nempe *B. castaneum* Koch, quare Synonymon heic excludendum.

2. *E. pygmaeus* p. 348.

Var. *b*, paulo minor, niger, antennis testaceis, elytrorum apice, tibiis tarsisque rufo-ferrugineis, thorace paulo crebrius et profundius punctato.

Habitat in Blekingia rarissime. *Mus. Dom. Schönherr.*

Thorax niger, paulo profundius et magis crebre punctatus. Elytra nigra, apice tantum rufo-ferruginea. Femora nigra, genubus, tibiis tarsisque ferrugineis. Caetera ut in *a*, omnia, quare non, secundum individuum unicum, ut speciem distinctam proponere aptum censui.

3. *E. poligraphus* p. 349.

BOSTRICHUS p. 351.

1. *B. Typographus* p. 351. *Dej. Cat. p. 100.*

2. *B. octodentatus* p. 353.

3. *B. Laricis* p. 354.

5 - 4. *B. acuminatus*: rufo-piceus, subnitidus, pallido-villosus, antennis pedibusque testaceis, elytris punctato-striatis rufo-testaceis, apice circulatim retusis, utrinque tri-dentatis, ultimo majore acuto.

Habitat sub-cortice arborum emortuarum, in Gottlandia *Dom. Fähræus. Mus. Dom. Schönherr*; in Vestrogothia, *Auctor.* Raro occurrit.

Magnitudo et statura *B. Laricis*, a quo praecipue differt armatura apicis elytrorum. Caput parvum, deflexum, nigro-piceum, punctatum, pallido-villosum. Antennae testaceae, clava pallidiore. Thorax amplus, ut in prioribus constrictus, anterieus tuberculato-rugosus, nigro-piceus; posterius rufo-piceus, parce et subtiliter punctulatus. Elytra thorace angustiora et parum longiora, sub-cylindrica, supra convexa, dilute rufo-picea, nitida, striato-punctata, transversim sub-rugosa, apice circulatim retusa, impressa, sutura in impressione vix elevata; in ambitu utrinque tubercula tria elevata, primum minutum, secundum paulo majus, tertium multo majus, conicum, acuminatum, apice nigrum. Corpus subtile rufo-piceum, punctulatum, parce villosum. Pedes breves, validi, testacei, genibus tibiisque brunneis.

3-4. *B. longicollis*: elongatus, rufo-piceus, sub-nitidus, pallido-villosus, antennis pedibusque testaceis, thorace elongato, elytris longis, sub-cylindricis, apice sub-retusis, irregulariter tuberculatis.

Habitat sub cortice arborum, rarius: in Scania *Dom. Prof. Zetterstedt*; in Vermlandia, *Dom. Mellerborg. Mus. Dom. Schönherr*.

B. Laricis vix latior, sed dimidio longior, cylindricus. Caput parvum, deflexum, nigro-piceum, punctatum, pallido-villosum. Antennae testaceae, clava pallidiore. Thorax amplus, latitudine multo longior, sub-cylindricus, supra antice valde convexus, confertim tuberculato-rugulosus, in medio utrinque transversim impressus, posterius parce et subtilius punctatus, relicta plaga laevi a medio ad basin; nigro-piceus, posterius dilutior. Elytra thorace paulo angustiora, sed fere sesqui-longiora, cylindrica, profunde punctato-striata, apice retusa, sed non impressa vel